BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. F. 8
ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
Pl. 11.

J. f

VINDICIÆ

BALLERINIANÆ

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

VINDICIÆ
BALLERINIANÆ

SEU

GUSTUS RECOGNITIONIS
VINDICIARUM ALPHONSIANARUM

INSUNT DISSERTATIO BALLERINII DE SYSTEMATE MORALI S. ALPHONSI
ET ALTERA DISSERTATIO
DE PROBABILISMO ET ÆQUIPROBABILISMO EJUSDEM S. DOCTORIS

BRUGIS FLANDRORUM
APUD BEYAERT - DEFOORT
BIBLIOPOLAM

BRUXELLIS
APUD ALFREDUM VROMANT
TYPOGRAPHUM

1873

APPROBATIO.

Librum hunc, eo fine conscriptum ut vera et genuina R. P. Antonii Ballerinii exponantur et comprobentur sensa de S. Alphonso, ecclesiæ doctore, deque doctrinis ejus moralibus, quandoquidem nihil continere videatur quod fidei et moribus contrarium sit, imprimi permittimus.

Brugis, die 22 *septembris anni* 1873.

J. J. EPISC. BRUGENSIS.

PROLUSIO HISTORICA

Quum SS. D. N. Pius papa IX, quem constantia in mediis calamitatibus S. Gregorio VII æqualem esse omnes consentiunt, qui S. Damasum in amplificando servorum Dei cultu et reficiendis ornandisque ædibus sacris sine controversia superavit, quem rebellionis astutia et furor, hæreticorum aut politicorum clamores terroresve et summa impendentia mala impedire non potuerunt quin officio suo apostolico fungeretur, errores novos condemnans, concilium Vaticanum convocans, dogmata immaculati conceptus B. Mariæ Virginis et infallibilis Romani pontificis magisterii confirmans; quum celebratissimus, inquam, ille S. Petri hæres novam gemmam coronæ illustrissimi sui pontificatus inseruit, S. Alphonsum Ligorium, quasi divinitus datum theologiæ moralis magistrum, inter doctores ecclesiasticos solemni decreto referens: unanimis fuit omnium catholicorum lætitia. Sed quid hæc interturbata fuit inopportunissimis controversiis? Fuit tamen, atque ab his a quibus omnium minime exspectandum erat. Sed quid hoc sæculo mirari licet, nisi omnia miremur? Porro hujus turbationis historia in præsenti Prolusione texenda est.

Lætitia communis de S. Alphonsi doctoratu ecclesiastico interturbata.

Non ita pridem P. Antonius Ballerinius, professor theologiæ in Collegio Romano, optima existimatione munitus erat, ut quasi princeps inter theologos morales hujus temporis haberetur. Equidem professorem ejusdem scientiæ in insigni universitate catholica audivi aliquando dicentem « abhinc sæculo ethicen christianam a nemine tantam habuisse progressionem quantam a Ballerinio, » meminitque sodalis mihi

P. Ant. Ballerinius, non ita pridem laudatissimus, jam vituperio expositus,

3351

intimus alumnum collegii exteri, Romæ constituti, graviter apud se conqueri quod scholas Collegii Romani adire non posset, hac una de causa quod *Ballerinianis prælectionibus non interesset :* tam præclara erat Romæ inter scholares, optimos plerumque judices, viri fama. Cæterum audiantur ipsi Ballerinii pristini discipuli, sparsi per Belgium, Gallias et Germaniam (ut Italos omittam): quantum eum omnes venerantur, suspiciunt, prædicant! quanta indignatione *Vindicias Alphonsianas* repudiant et libelli famosi loco habent! quin etiam passim in defensionem sui magistri assurgunt! Quid? quod episcopi citramontani et ultramontani plures juvenes selectissimos, quos aut ad docendum in seminariis aut ad participandam administrationem suam destinabant, ad scholas Collegii Romani miserunt post editas *Annotationes* Ballerinianas quam umquam antea hoc sæculo?

Sed heu! licet *melius sit nomen bonum quam unguenta pretiosa* (1), id non plus firmitatis habet quam terrena reliqua omnia. Non itaque mirum est, si ille idem vir, fama modo inclytissimus, nunc passim male audiat, quasi vir nullius scientiæ esset sed incredibilis audaciæ, qui plane perverterit systema theologicum S. Alphonsi, qui scripta theologorum et decreta ecclesiastica non intelligat, dialecticen ignoret ut sæpissime pessime ratiocinetur, et potissime qui amet injurius esse erga S. Alphonsum aliosque præclarissimos doctores, quin etiam in sui ordinis præstantissima decora, ne pontificiæ quidem majestatis reverens. Abeat itaque ille miserrimus theologaster!

venerabilis senex est, qui multum laboravit

Sed quid mali fecit aut ejus fratres? nam mythographi dictum sæpe valet: « Pater hercule tuus maledixit mihi. » Ad præterita jam delabimur.

Ante omnia monendus est lector Ballerinium non esse temerum juvenculum, quippe qui prope septuagenarius sit; neque religiosum dyscolum, nam inter quinquaginta Patres seniores,

(1) Eccles. VII,

qui Collegium Romanum incolunt, ipse cum tribus aliis constitutus est qui, non tantum infinitæ multitudinis scholarium, sed universæ domus, plus centum quinquaginta incolas religiosos continentis, confessiones sacramentales excipiat; neque virum, cujus doctrina suis superioribus secura non habeatur: scilicet non solum theologiæ moralis professione in Universitate Gregoriana fungitur, verum etiam officio revisoris generalis librorum; quod officium in Societate Jesu gravissimum est, quum sanæ doctrinæ custodia et conservatio illis revisoribus magnam partem commissa sit. Cæterum universam vitam studendi aut docendi labori impendit, domi continuo se continens, nisi sacro pauperum ministerio occupetur, librorumque lectioni vacans aut præceptioni. Duos nempe annos philosophiam docuit, triennium præfuit studiis scholarium Collegii Germanici, historiam ecclesiasticam docuit annos duodecim et jam annos septemdecim explicat theologiam moralem: quanta cum laude ubique terrarum proclamant discipuli.

et S. Alphonsi doctrinam commendavit semper plurimum,

In S. Alphonsum Ligorium ejusque doctrinam optime semper affectus fuit; neque umquam destitit eamdem existimationem auditoribus suis ingerere. Quum scilicet primum cathedram theologiæ moralis in Collegio Romano conscendit, non alium librum scholarem discipulis suis proposuit quam ipsissimam *Theologium moralem* sanctissimi Doctoris; quam si dein deposuerunt, hoc non ejus sponte factum est, sed quoniam propter defectum methodi scholasticæ aliosque nævos, quos Vindices agnoscunt, librum faciliorem, S. Alphonsi tamen doctrinæ tenacem, sequi cupiebant. Et quidem vir doctus et insignis, tum Ballerinii discipulus, nunc autem in dignitate ecclesiastica constitutus, quum nuper de magistro suo dissereret, hæc ad finem addebat: « Utique professor, ut vir simplex est et candidus, aperte omissisque ambagibus et strophis, contradicebat aliquando S. Alphonso; sed veneratione Alphonsiana adeo madebat universa ejus præceptio ut omnes ex ejus schola

exiremus toti Alphonsiani. » Et quidem in Belgio et alibi passim reperire est ejus discipulos theologiam moralem docentes aut etiam libros de eadem scribentes; quis inter eos, non dicam cæcus, sed devotissimus S. Alphonsi admirator non sit eumque loco magistri non habeat? Deinde, ut norunt omnes qui aliquandiu Romæ versati sunt, ab exploratoribus et detractoribus fictisque amicis Collegium Romanum quasi circumdatur; quomodo itaque fieri potuit ut annos septemdecim despectus S. Alphonsi ejusque doctrinæ detrectatio ex cathedra Balleriniana emanaverit, quin umquam ullus aliquis delator temerum præceptorem apud superiores ecclesiasticos aut etiam in Actis diurnis, quorum multis in Italia, Germania, Galliis et Belgio Jesuitas exagitare placet, læsæ gloriæ S. Alphonsi accusaverit? Et, quum iidem socii etiam amicis non careant, quibus annumero omnes pene Patres Redemptoristas, quomodo ex illis nullus præceptum caritatis adversus eum implevit, quod his Christi verbis continetur (1): *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quodsi non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

potissime in *Dissertatione,* dicata RR. PP. Redemptoristis,

Tantum autem aberat ut Ballerinius inter S. Alphonsi adversarios haberetur aut ipse sibi conscius esset violatæ sanctissimi viri doctrinæ ut, quum anno 1863 ad scholares suos orationem inauguralem seu *Dissertationem de morali systemate S. Alphonsi Mariæ de Ligorio* habuisset, eam rectori supremo et RR. PP. Congregationis SS. Redemptoris dicarit tribus de causis, quas lector perpendere velit.

« Vixdum, inquit, orationem hanc meam in auditorum meorum utilitatem aliquam edere cogitaveram, cum mihi in

(1) Matt. XVIII, 15-17.

mentem venit, eam, PP. Optimi, vobis dicare, vestroque nomini inscribere. *Facit enim voluntas erga me vestra, meumque perpetuum de vestra doctrina judicium*, ut magni mea putem referre vobis quæ scripserim nota esse *vestraque approbatione insigniri*. Arbitrabar etiam *defensionem hanc a me susceptam sanctissimi parentis vestri* vobis fore non injucundam; quæ enim laus est celebritasque parentum, eam ad filios ipsos redundare compertum est. Quæ causa etiam fuit, ut meritam gratiam amori illi benevolentiæque singulari, qua sanctus Alphonsus afflictam oppressamque Societatem Jesu calamitosis temporibus prosequutus est (1), *non ea solum observantia, qua ipsum revereor*, putaverim persolvendam, sed etiam *officiis amicitiæ erga filios ejus, de re Christiana optime meritos*, diligenter sancteque servatis. Hoc igitur, qualecumque sit, meum opus habete, et, licet exiguum, benigne excipite: quod unum a vobis peto, *quos comes semper et ad omnem rationem humanitatis moderatos cognovi.* »

Admiserunt ergo optimi Patres dedicationem hujus *Dissertationis*, quæ in *Vindiciis* tam male habetur quasi dirutio esset fundamentorum theologiæ S. Alphonsi, eamque non solum approbatione sua insigniverunt, verum etiam sparserunt per domos suas longinquas. In quibus domibus quanti facta sit intelligi potest ex libro R. P. Julii Jacques, cum singulari ipsius supremi Rectoris approbatione anno 1869 Tornaci edito. In proœmio scilicet auctor, ut excellentiam doctrinæ sanctissimi viri prædicet, vix aliud refert quam verba sex Romanorum pontificum et quatuor Jesuitarum, quorum postremus est ipse auctor illius *Dissertationis:* « Un autre enfant de saint Ignace, sic loquitur P. Jacques (2), dans une dissertation *dédiée aux enfants de saint Alphonse*, s'exprime dans le même

qui eam plurimi fecerunt.

(1) Vid. *Ant. Maria Tannoja, della Vita ed Instituto di S. Alphonso Maria di Liguori ecc.* Lib. 3. Cap. 25.

(2) *Du Pape et du Concile ou Doctrine complète de saint Alphonse de Liguori sur ce double sujet,* pag. XXXII.

sens [que le P. Perrone]. « On ne peut en disconvenir, nous « dit-il (1), c'est par un bienfait signalé du Dieu de toute bonté « que, dans cette déplorable confusion d'opinions opposées qui, « depuis deux siècles, ont rempli de disputes les écoles de théo- « logie morale, il nous est donné de posséder aujourd'hui les « écrits de saint Alphonse de Liguori, qui se recommandent « d'une manière spéciale, non-seulement par les rares qualités « de l'auteur, mais — ce qui est beaucoup plus important — « par le jugement qu'en a porté le Siége Apostolique. *Nemo sane « diffitebitur*, etc. » Ainsi s'exprime le R. P. Ballerini, savant théologien moderne de la Compagnie de Jésus et annotateur du *Compendium theologiæ moralis* du P. Gury. » Quatuor itaque abhinc annis habebatur adhuc Ballerinius egregius S. Alphonsi doctrinæ laudator; ejus *Annotationes* in *Compendium* Gurianum adducebantur ad auctoritatem viri confirmandam, ejusque *Dissertatio*, S. Alphonsi filiis dicata, summo erat in pretio. Quantum mutata jam omnia!

Quin et præmature eum nominavit S. Doctorem.

Quid ergo ab hoc tempore fecit Ballerinius? Profecto nihil. Prodiit postulatum RR. PP. Redemptoristarum de creando S. Alphonso doctore ecclesiæ. Cui postulato nedum obstiterit Ballerinius, ipsi præivit, beatum Alphonsum *sanctum doctorem* in illa sua *Dissertatione* nuncupans; sed expunxit præmaturam appellationem Magister S. Palatii, ut narrat Ballerinius ipsemet.

Splendidissimo elogio item commendavit R.A.P. Petrus Beckx doctrinam S. Alphonsi:

Quin etiam adeo persuasum erat RR. PP. Redemptoristis Jesuitas omnes bene velle S. Alphonso eosque percupere ut sancto viro, Societatis Jesu (etiam quum tempora erant maxime nubila et plerique fautores diffugiebant) amico constantissimo, doctoratus ecclesiastici honores tribuerentur, ut R. A. P. Petrum Beckx, præpositum generalem Societatis, qui olim Vindobonæ in festis canonisationis S. Alphonsi

(1) *De morali systemate S. Alphonsi de Ligorio dissertatio.* — Romæ 1864.

splendidissimum panegyricum, typis etiam expressum, ad nobilissimam coronam dixerat, confidenter adierint eumque suum rogarint testimonium. Quod ille ita dedit ut cum Ballerinio censuerit beatissimum virum jam de facto esse doctorem ecclesiæ ; adeoque *nihil ultra requiri, nisi ut solemni decreto definiatur*. Quod testimonium adeo responsoribus ad *Animadversiones* promotoris fidei placuit ut id non solum in sua *Responsione* (1) verum etiam in *Vindiciis* (2) ediderint. Et quidem a nemine forte magnificentius et gravius S. Alphonsi doctrina laudata est quam ab illo nostro generali præposito. Particulam encomiorum, a Responsoribus seu Vindicibus excitatam, juverit retulisse. « Porro, « ait itaque ille, si mente volvamus teterrimum belli genus, « quo vaferrimi ecclesiæ hostes per ætatem S. Alphonsi rem « christianam impetere non verebantur, ac memoria subinde « repetamus ingentem illam sacræ eruditionis supellectilem, « quam sanctus episcopus propugnandæ catholicæ veritati, « refutandis hæreticorum erroribus, pietati apud christianum « populum fovendæ, ac S. Sedis juribus et privilegiis contra « ecclesiæ hostes asserendis et propugnandis, indefessa con- « tentione comparatam, adhibuit : nemo negaverit mirabilem « hunc virum, tamquam insignem in ecclesia magistrum « providentissime a Deo fuisse suscitatum, atque omni do- « ctrinæ genere illustratum. Quod autem, meo quidem judi- « cio, S. Alphonsum eximio quodam docendi charismate a « Deo distinctum ostendit, id vel maxime continetur morali « ejusdem Sancti doctrina, quæ singularem ecclesiæ approba- « tionem promeruit, quæque exinde tum in scholis tum in « sacro ministerio universo tamquam tutissima agendi norma « insigni cum fructu adhiberi cœpit. Fuit profecto hæc veluti « prima quædam illius charismatis agnitio, quæ juxta consue-

(1) Pag. 153.
(2) Pag. XXXII.

« tum ecclesiæ ductum, supremam expressamque doctoratus « recognitionem antecedere visa est, quæque *nil ultra requi-* « *rere videtur, nisi ut solemni decreto definiatur.* »

quæ existimatio omnibus Jesuitis communis est.

Quod si literas, etiam particulares, R. P. Joannis Roothaan (1), aut magistrorum nostrorum sententias aut quotidianum usum in testimonium afferre vellem, paginæ implendæ essent multæ: sed id unum inde constaret Jesuitis (exceptionem ego novi nullam) haberi S. Alphonsum inter principes doctores theologiæ moralis et confessariorum tutissimum ducem, non tamen infallibilem ; adeoque doctoratus ecclesiastici honore plane esse dignissimum.

Congregationem SS. Redemptoris non minus amavit Ballerinius,

Sed si Ballerinii ejusque collegarum is sit in S. Alphonsum animus, aliusne est in fundatam ab eo Congregationem? Legatur dedicatio *Dissertationis* de S. Alphonsi systemate morali, ubi Ballerinius profitetur se ante omnia mutuo amore et existimatione RR. PP. Redemptoristarum adductum fuisse ad dedicandum eis suum opusculum: « Facit enim, sunt ejus verba, voluntas erga me vestra, meumque perpetuum de vestra doctrina judicium, ut magni mea putem referre, vobis quæ scripserim nota esse vestraque approbatione insigniri. » Et meminit sodalis ille, de quo supra, Romæ quum esset, urbemque pererrans ad ædem S. Alphonsi venisset, socium sibi dicere : « Habitano quì i Padri Redemtoristi : danno molta edificazione; » et, quum jam ab uno jam ab altero sciscitaretur quæ in civitate haberentur communitates regulares et ecclesiasticæ optime institutæ, a respondentibus inter eas recenseri domum S. Alphonsi.

(1) Commemorare tamen volo, utpote rem publicam, hunc generalem Societatis Jesu præpositum alterum fuisse approbatorem Romanum libri E. V. Gousset: *Justification de la Théologie morale du bienheureux Alphonse-Marie de Liguori*, qui liber tantum valuit ad commendandam sanctissimi viri doctrinam: ut constat ex literis E. V. de Rohan-Chabot, archiepiscopi Vesontionensis, datis die 3 aprilis anni 1832 atque illi *Justificationi* præmitti solitis.

Neque novi alium alibi in Societate exsistere animum; et, ut ne meo solo starem testimonio, interrogavi alios si quem nostrum umquam audivissent loquentem adversus Congregationem SS. Redemptoris universam, adversus singulares personas aut contra eorum ministeria et doctrinam, responsumque mihi fuit: « Numquam. »Nolim tamen negare in tanta hominum multitudine ullum esse qui aliquando prudentiæ caritatisque leges erga alios religiosos violaverit (miraculum id foret); sed hoc mihi constat nos ita a juventute institui ut religiosos cujuscumque coloris et habitus amemus et colamus; adeoque neminem umquam audivi conquerentem quod Jesuitæ caritatem et reverentiam erga sodales aliorum ordinum non observant. Contra vidi semper Benedictinos, Cistercienses, Præmonstratenses, Carmelitas, Conventuales, Recollectos, Capuccinos, Dominicanos, Patres Sanctissimi Sacramenti, Passionistas aliosque maxima fiducia amicitiaque cum eis uti et vicissim bene velle; neque aliter RR. PP. Redemptoristas, a quorum nemine putem Jesuitas umquam ullum rogatos fuisse officium quod non obtinuerit. Certe vidi ex illa Congregatione Patres qui integros menses in bibliothecis Jesuitarum ad libitum suum laborarent; et, quum nuper in Hollandia sodalis ille versaretur, intellexit Redemptoristas Amstelodamenses ita bene sensisse de nostrorum officiositate ut petierint a parocho nostro stationis *de Zaayer* facultatem administrandi infirmis intra terminos parochiæ ultima sacramenta; quam facultatem libentissime eis fuisse concessam, omnino præter morem aliorum parochorum, sæcularium et regularium. Unde ego sic mecum statuo valde paucos inter religiosos quoscumque, qui aliquantisper sanæ mentis habuerint, repertum iri, qui laudent Vindices de immani illa sua mole præclaro Jesuitæ non sine universæ Societatis contumelia impacta, quasi aut hic aut ejus collegæ tot tantaque vituperia meruissent.

ut et reliqui Jesuitæ, qui ejus Patribus nulla umquam negarunt beneficia, in omnes religiosos officiosi.

Ballerinii causa pertinet ad universam Societatem Jesu.

Sed, inquies, Ballerinii causa ad universam Societatem Jesu non pertinet. Hæc justo simpliciora sunt. Quum Blasius Paschalis aliquot theologos calumniatus est, nonne universam Societatem conviciis proscidit? Deinde, licet singuli Jesuitæ sinantur esse suo periculo probabilistæ aut tutioristæ, manifestum tamen est eos omnes aut fere omnes sequi systema, quod Ballerinius exposuit et Vindices impugnant: (nam de singularibus sententiis aut dictis Ballerinii minor cura est;) adeo ut in uno Ballerinio lacessantur omnes. Hæc luce meridiana clariora sunt, neque tacentur a *Vindiciarum* laudatoribus.

Olim invidiam excitabant Jesuitæ, nunc non nisi misericordiam.

Facile intelligitur aliis temporibus, quum Jesuitæ omnium in se oculos converterent et quasi ecclesiæ lumina haberentur, invidiam inde natam esse non minimam, adeoque inter approbatores *Augustini* Jansenii unum repertum esse religiosum, qui non solum censuerit hæreticum illud opus ita suis numeris absolutum, ut videretur prodire non potuisse sine speciali adjutorio gratiæ Dei cujus patrocinium auctor susceperit; verum etiam hæc totidem memorabilia verba subjecerit: « Omnino expedit ecclesiæ Dei, quæ columna est veritatis, ut viri subtilissimi ac avitæ pietatis et doctrinæ amantissimi (qualem fuisse Jansenium plurimi hic mecum norunt) ingenii sui monumenta relinquant : ne, dum Societas Jesu ubique terrarum scripturiens, catechisans et prædicans in unam conspirat sententiam, periculum sit, quod nova aliqua doctrina vel Molinæ, vel cujusvis alterius socii, etiam unici, irrepat, subitoque quasi universalis ecclesiæ evadat, antiquæ licet veritati contraria. Ita sentio, paratus corrigi, præsertim a SS^mo^ Christi Vicario. »

Sed impræsentiarum quam invidiam excitant Jesuitæ? Haud ego scio an nuspiam sit aliquod genus hominum quod commiserationem mereatur magis. Disjecta jam pridem est provincia Taurinensis, disjecta Sicula, disjecta Neapolitana, disjecta Veneta, disjectæ nunc etiam reliquiæ provinciæ Romanæ; di-

spersi passim socii, spoliati omnibus bonis, ne exiguis quidem annuis donati, quibus reliqui religiosi. Non melior sociorum Hispanorum fortuna, qui brevi tempore duas pulcherrimas fœcundissimasque provincias erexerant. In America Meridionali jam ab una republica pelluntur ad aliam; atque Germani omnium primi e sua patria extorres facti sunt. Alibi vero, quibus omnium maxime imminent calamitates, exsilia et mortes? nonne Jesuitis? Quot adhuc eis supersunt collegia, bibliothecæ, templa? Ubinam non imitantur arundinem vento agitatam caputque inclinantem, malentes obscuri vivere quam in ore hominum versari? Utique misericordiam excitamus, non invidiam.

Ad accusandum Ballerinium primo moti non fuerunt auctores *Vindiciarum* studio supprimendi *Compendii* Guriani cum Ballerinii *Annotationibus*,

Re quidem vera *Compendium* Gurianum, quod plus vicies prelo innumeris exemplaribus excusum est, plerorumque presbyterorum manibus versatur et multis in seminariis loco libri scholaris est, et *Annotationes*, quas illi libro addidit Ballerinius, non minimas huic pepererunt laudes. Sed quid invidiæ tantillis rebus inesse potest? Re quidem vera anonymus scriptor recensionis in *l'Univers*, methodo mercatorum usus, quantum potuit, nocere conatus est Guriano *Compendio*, negans P. Gurium fidelem esse S. Alphonsi interpretem, quod aliquoties, plerumque minimis in rebus, ab eo dissentiat; sed id juvenculi Galli peccatum est, quod vitare studuerunt Vindices, contenti loca annotasse quibus Gurius cum S. Alphonso non convenit, absque malevolentiæ significatione. Ex studio itaque opprimendi et supprimendi Ballerinii atque etiam Gurii, quod postmodum forte secutum est, non licet affirmare ortas esse *Vindicias*.

sed quia animo sibi figuraverunt, et quidem falsissime, Ballerinium auctorem fuisse objectionum,

Quid itaque? Causæ canonisationis aliæque hujusmodi eodem modo aguntur coram S. Rituum Congregatione quo matrimoniales coram judicibus ordinariis: id est, promotor fidei ex officio impugnare debet postulatorum petitionem, quemadmodum procurator fiscalis, aut quovis alio nomine appelletur, defendere debet validitatem matrimoniorum,

quas promotor fidei pro officio opposuit doctoratui S. Alphonsi ;

quorum rescissio petitur ; etiamsi argumenta firma nulla ei suppetant. Unde fit ut sæpissime ad argutias et cavillationes confugere debeat, si quid dicere velit. In præsenti autem casu promotor nihil serii afferre poterat nisi epistolam, qua sanctus Doctor *Historiam suam et confutationem hæreseon* Bernardo Tanuccio, ministro regio Neapolitano ecclesiæque hosti præ reliquis noxio, dedicavit, laudans eum supra modum, quin etiam quasi in exemplum proponens aliis ubique terrarum gubernatoribus; et deinde negligentiam sanctissimi viri in scribendo et in citandis auctoribus atque etiam Scriptura Sancta, quam negligentiam editores diligentissimi ejusdem operum fatentur. Verumtamen quinam ecclesiæ doctores omni nævo carent? Nonne, si promotor fidei his stetisset nullasque alias fecisset animadversiones, visus fuisset suo deesse officio? Arripuit itaque Ballerinii *Annotationes*, atque inde excerpsit triginta loca, quibus hic plus minusve a S. Doctore dissentiebat, quasi illa essent totidem ejus doctrinæ labes. Potuissent postulatores concedere has reapse esse maculas, quin inde sequeretur beatum virum titulo doctoris esse indignum. Sed, quemadmodum cardinalis Cæsarinius in concilio Florentino profitebatur, « doctorum hominum mos est ad nihil tacere ; » qui mos nonnihil in usu est coram S. Rituum Congregatione. Responderunt itaque ad hæc omnia (feliciter infeliciterne hoc loco parum interest) egregii viri, qui sibi visi sunt negotium habere non cum promotore fidei sed cum ipso Ballerinio ; quin etiam sibi persuaserunt atque cardinali cuidam dixerunt « quæcumque objecta fuissent in causa doctoratus S. Alphonsi, hæc a Ballerinii calamo esse profecta. » «Quod quum a nonnullis Nostris audiissem (scripsit Ballerinius), qui id ex ore Eminentissimi Viri audierant, ego non dubitavi literas ad eundem dare, quibus ista omnia ipsi per falsas calumnias ingesta contestarer et conquererer. »

Hacitaque falsa præsumptione occupati, in Ballerinio sibi visi sunt videre hostem infensissimum gloriæ S. Alphonsi, adeoque filialis suæ pietatis officium esse duxerunt a temero viro pœnas exposcere ejusque auctoritatem elevare. Nemo itaque mirabitur, si Ballerinius jam egregie vapulavit in *Responsione ad Animadversiones* promotoris fidei, multoque magis in *Summario additionali*, quo *Responsio* illa nititur. Quæ pugna adversus absentem profecto non valde heroïca erat; sed præoccupatio animorum obscurabat nimium mentis aciem, quam ut hæc illiberalitas perciperetur. Quid, quod numquam traxerunt cum animo verumne esset objectiones adversus sanctissimi Patris sui doctoratum venire a manu Ballerinii, an contra hoc ipsi temere calumniarentur ? Utut id est, post collatum a SS. D. Pio papa IX sancto Alphonso doctoris ecclesiastici titulum, censuerunt boni viri Ballerinium nondum satis plagarum accepisse novumque faciendum librum quo plane conficeretur.

ideoque absentem coram S. R. C. non parum illiberaliter habuerunt;

Mirificum consilium virorum catholicorum! Passim aggrediebantur viri irreligiosi, maxime in Germania, decretum apostolicum idque in actis diurnis menstruisve ludibrio habebant; ad hæc siluerunt diligentissimi Vindices inultamque reliquerunt auctoritatem pontificiam. Alius scilicet Annibal devincendus erat, alia Carthago delenda. Quanto melius aliam iniissent viam, quam nuper SS. D. N. Pius papa IX, ad Jesuitas Lugdunenses scribens, hisce verbis indicavit : « Utinam omnes, qui pro Deo, religione et patria decertant, licet in iis quæ liberæ sunt disceptationis varias sequantur sententias, uno velut agmine facto, unanimes irrumpant in solos veritatis osores, ancipitisque et perniciosæ doctrinæ magistros; sed memores veteris et sapientis effati : *Eadem propositio in ore catholici est catholica, in ore hæretici hæretica,* properantibus commilitonibus non injicerent impedimenta, nec per clamosa et severiora judicia verbi alicujus aut sententiæ non satis perspicue proditæ, eorum auctoritatem et efficaciam

dein statuerunt prætermittere decreti pontificii irrisores et omnes vires intendere ad opprimendum novo libro innocentissimum Ballerinium.

apud honestos elevarent! » Sed in impugnanda Societate Jesu aut ejus hominibus a tribus sæculis singularis semper voluptas percepta est; adeo ut bonis etiam hominibus sæpius magis placuerit in Jesuitas irruere quam in impios et hæreticos. Statutum itaque est violatores edicti apostolici prætermittere, omnes vires in innocuum senem convertere, ejusque castigationem animosis aliquot committere juvenibus.

Quanta humilitate et religione Ballerinius studuerit inopportunam hanc controversiam avertere.

Cujus rei fama quum Romæ percrebuisset, venit quoque ad aures Ballerinii. Non potuit venerabilis senex, tanta intellecta adversum se pertinacia et contentione, non commoveri, maxime quod nihil inde boni sed multum mali proficisci poterat. Quocirca, qui jam pridem a Christo didicit humilem esse et mitem corde, nihil omisit, etiam cum suo deshonestamento (secundum hominem loquor), ut hanc calamitatem averteret. Audi ut ipse hæc sua gesta descripserit, iterum deinde alteris literis testatus omnia verba ad amussim exacta esse. « Scilicet, inquit, cum audirem, post ea quæ in *Actis sacræ Congregationis Rituum* contra me scripta videram, novum parari ab iis volumen, non dubitavi Patrem Generalem seu Majorem Rectorem adire, rationesque exponere, quæ illos ab hoc consilio deterrerent. Plura, eaque maxime idonea dixi ad diluendam præposteram eorum opinionem de animo meo in beatum Alphonsum iniquo et infenso; addidi inopportunissimam esse controversiam, quo tempore non solum vires colligendæ erant contra communes ecclesiæ hostes, ac prorsus vitanda erant inter nos dissidia, dum persecutionibus, odiis, vexationibus, exiliis uterque ordo religiosus afflictabatur, verum etiam quia cum pessima diaria contra recens Sanctæ Sedis decretum de beato Alphonso inter sanctæ ecclesiæ doctores recensendo probra ingeminarent, pessimo consilio de opinionibus ejusdem S. Doctoris quæstiones a nobis agitarentur. Paratum insuper me exhibui, si quid collatis privatim inter nos studiis mihi ostenderetur, in quo injuste doctrinis beati Doctoris detraxissem, ad ea omnia emendanda, suumque S. Doctori

honorem restituendum. Rogavi, ut hæc omnia mature perpenderentur, illud etiam subjungens, pervidisse me satis ea, quæ in *Actis S. Congregationis* de his scripta fuerant, eaque reperisse partim abs re, partim sophistice, partim etiam non sine mala fide fuisse digesta; proinde, si me demum cogerent ad suspiciones contra me injectas diluendas, id profecto neque in voluminis eorum auctores, neque etiam in S. Doctoris laudem ac decus tandem cessurum. Ad ipsum Patrem Rectorem Majorem post interpositam unam vel alteram hebdomadam redivi, perhumaniter rogans, quid demum de re decrevissent, precesque ac rationes undequaque quæsitas ingeminavi, ut in meum consilium descenderent. At omnia incassum, firmissimosque in arrepto consilio eos cognovi. Paulo post autem illud etiam ab iis, qui id ex ipsorum ore exceperant, didici, meam hanc curam sollicitam vitandi ista perniciosa dissidia, illos ita interpretatos, quasi teterrimus tantummodo timor, ne ab ipsis opprimerer, me ad ipsos adeundos, precesque adhibendas permovisset. » Quod et scripserunt in Belgium ; ubi, aliquanto ante *Vindiciarum* editionem, illa eadem vox audita est.

Eduntur *Vindiciæ* et mirifice laudantur non sine vituperio universæ Societatis Jesu.

Medio itaque hoc anno prodierunt in publicum cura et studio quorumdam theologorum e Congregatione SS. Redemptoris VINDICIÆ ALPHONSIANÆ *seu doctoris ecclesiæ S. Alphonsi M. de Ligorio, episcopi et fundatoris Congregationis SS. Redemptoris, doctrina moralis vindicata a plurimis oppugnationibus cl. P. Antonii Ballerinii, Soc. Jesu, in Collegio Romano professoris* ; et statim lingua vulgari, ut res etiam ad aures devoti feminei sexus deveniret, triumphus anonymorum Vindicum in actis diurnis ubique fere terrarum pronuntiatus est et irremediabilis Ballerinii clades conclamata, non sine aliquo vituperio (ut jam monuimus) doctrinæ mora universæ Societatis Jesu.

Stylus Ballerinii brevior et aliquando paulo

Favebat sane Vindicibus eorumque fautoribus modus scribendi nonnihil aliquando durior Ballerinii; qui brevitatem sectatus et pro sua animi simplicitate nescius ambagibus uti,

durior illis favebat;

aperte et sine strophis aliquando S. Alphonsi, ut et omnium theologorum imprimisque Societatis Jesu, sententias aut argumenta improbarat : quæ libertas nonnullis videbatur nimia. Sed hic nævus totus in verbis consistebat; neque doctissimus quisque sentiebat Suarium, Lugonem aliosque theologiæ principes, uti et S. Alphonsum, minoris ab eo fieri, quod, ut in aliorum sententiam abiret (nam ne semel quidem suam solius sententiam laudavit), breviter eos dimittebat. Verumtamen modus ille simplicior passim minus placebat.

item moles libri quasi indicium doctrinæ,

Favebat et ipsa paginarum plus mille immanis libri moles. Quantus liber! Quantus labor! Quanta inesse debet doctrina! Obstupuerunt plurimi, intra se dicentes : « Quam infortunatus Ballerinius, quam ineruditus magister, qui tot commiserit errores ut immensis illis *Vindiciis* locum dederit! » Profecto nil mirum, si nonnulli, non lecto sed manibus librato ingenti volumine, dixerint nihil superesse Ballerinio quam ut a cathedra descendat.

et impedimentum recognitionis.

Adhærebant huic immanitati emolumenta alia. Quo tempore tot homines, actis diurnis aut menstruis legendis assuefacti, majoris molis libros non nisi summis digitis versant, huc illuc oculos conjicientes nihilque serio legentes aut examinantes, non exspectandum erat multos fore qui *Vindicias* integras ad extremum revolverent revocarentque ad trutinam, tantoque minus quanto magis tædio, fastidio doctrinæque penuria vitiosæ sunt. Unde non poterat non fieri quin laudes, a *Vindiciarum* fautoribus passim sparsæ, omnibus partibus suis constare pergerent. Atque ipse quidem in hac Prolusione non parum impeditus sum illis laudibus, quas plane immeritas habeo. Durum est contra stimulum calcitrare, sed non minus durum est præoccupatum lectorem ad sententiam suam traducere. Verumtamen, quum sermo mihi non sit cum obstinatis injustisque viris, quibus certum sit, auditis accusatoribus, reum inauditum indefensumque damnare, sperare ab eorum æquitate audeo eos non surda aure excepturos quæ mihi dicenda

videntur de *Vindiciis*, quibus multo minus vindicatur S. Alphonsus, a nemine accusatus, quam criminationibus obruitur Ballerinius, non detractor sed admirator perpetuus S. Doctoris. Plane meam postulationem quis non dicat æquissimam? Omnium judicum prima lex est.

Ut respondeat, oportet ut portentosum adeoque ridiculum librum scribat Ballerinius, qui nullam controversiam vult habere cum RR. PP. Redemptoristis.

Deinde quid Ballerinius ad tantæ molis librum opponat? Quum superiori sæculo universæ Societatis cladem molirentur politici, impii et invidi, librumque edidissent : *Extraits des assertions dangereuses et pernicieuses en tout genre, que les soi-disant Jésuites ont, dans tous les temps et persévéramment, soutenues, enseignées et publiées dans leurs livres, avec l'approbation des supérieurs et généraux ; vérifiés et collationnés par les commissaires du Parlement*, etc., vix tribus majoribus tomis comprehendi potuit *Responsio*, licet auctores brevissimum scribendi compendium adhibuerint. Quum autem *Vindiciæ* pleraque habeant vitia illarum *Excerptionum*, edendusne est Ballerinio liber tantus qui nonnisi plurimis tomis capiatur? Sed majores non sunt *Controversiæ* Bellarmini. Quæ controversiæ cum Protestantibus, si quæ umquam, utilissimæ utique fuerunt ecclesiæ : quid contra utilitatis habere possint controversiæ cum Vindicibus Alphonsianis? Sinantur triumphare, debellentur, quid refert? Fac Ballerinium ad omnes eorum criminationes respondere operamque suam impendere ut loca adulterata redintegret, ut motas quæstiones ad veram suam sedem reducat, ut argumenta infirma et sæpenumero puerilia indicet et profliget, ut genuinum sensum auctorum investiget et restituat, ut antilogias exponat, ut ratiocinia sophistica detegat, ut errores historicos passim obvios castiget, ut Vindicum ignorantiam omnium regularum critices plane stupendam ludibrio habeat, verbo ut ostendat *Vindicias* ita male esse comparatas ut difficile sit indicare librum aliquem, de rebus seriis agentem, miserabilem magis ; fac, inquam, a Ballerinio millenis foliis hæc omnia demonstrari (quæ demonstratio nequaquam foret

difficilis), nonne viginti post annos, quum scilicet *Vindiciæ* senuerint et putruerint, memoria illius viri rideretur ab omnibus, quod responsione ad tantam tamque insipidam rerum et verborum farraginem se detineri siverit? Quid? si ipse secum statuerit non solum absurdissimum hoc pensum non perficere, sed maxime nullam controversiam cum Patribus Redemptoristis habere et malle qualecumque famæ suæ detrimentum pati quam non omni modo conari exstinguere incendii fomitem, imprudentibus manibus accensum? Quocirca respondit hic quidem breviter anonymo auctori *Recensionis* in *l'Univers;* sed non poterat suspicari sub illa larva juvenculum Redemptoristam latere: tantis enim laudibus in illa lucubratione Redemptoristæ eorumque labores extollebantur ut, quum trito sermone laus propria fœtere dicatur, non poterat non videri externi viri scriptio. Contra, quum in publicum prodiit P. Boulangeot, qui se inter Redemptoristas (quod hactenus ejus fama latuerat) magistrum theologiæ professus est, ille idem Ballerinius plane tacuit.

Necessaria non est integra *Vindiciarum* redarguitio, quum brevi futurum sit ut sponte inter libros famosos nulliusque pretii habeantur.

Neque velim ego in ejus vicem venire, tantoque minus quod existimo nequaquam necesse esse ut hæc errorum criminationumque moles universa redarguatur. Sufficit enim ut lector moneatur, paucis exemplis adductis in medium, *Vindicias* fidem mereri nullam; ita ut dubitandum non sit quin ante biennium exactum eo loco habeantur quo libri Molinæi, Paschalis, Arnaldi, Concinæ, Parlamentorum Galliæ procuratorum, Giobertii aliorumque qui doctrinam moralem Societatis Jesu adulteratam aggressi sunt.

Paucissimi utique erunt qui percurrant, pauciores qui examinent rudem hanc insulsamque molem, ita ut ne ipse quidem P. Boulangeot (ut alio loco ostendam) eam versasse videatur; erunt tamen. Novi monachum Cisterciensem, valde eruditum, qui legerit et integrum volumen censuris impleverit; audivi alium virum, non minus in theologia versatum, lecto medio volumine, exclamantem se numquam manibus tenuisse

librum absurdiorem. Tertium, quem sciebam totum volumen versasse, scripto rogavi sententiam ; qui respondit « jam logicam, jam sinceritatem in eo desiderari ; pleraque ejusdem esse farinæ ac quæ redarguta fuerunt in *Memoriali* Belgico ; *Vindiciarum* auctores non videri homines ejusmodi, qui ad id operis idonei sint ; subinde enim neque statum quæstionis assequi, nec sensum scriptorum, neque vim rationum ; subinde etiam, dictorum oblitos, in apertas contradictiones labi. » Sed erunt et alii qui, victo tædio, evolvant et expendant illam molem : atque horum omnium exsurget aliquando vox et jam exsurgit : librum valde parum valere.

Et quidem quotusquisque lector prudens minimo labore suisque ponderibus immensum volumen pensitare potest, dummodo mediocrem diligentiam habere velit animumque ab omni in judicando præpropera festinatione continere, pauculas regulas servare, adeoque dispicere :

Cæterum facile est eas pensitare,

1° Referanturne a Vindicibus integra Ballerinii verba ; nam, licet profiteantur (1), se generatim *integros* Annotatoris *textus attulisse*, hoc nequaquam verum est ; truncant enim sæpius, eam omittentes partem quæ omnem criminandi ansam aufert : cujus rei insigne specimen suppeditabit inferius *Memoriale* Belgicum.

si lector suspectam habeat sinceritatem,

2° Studiumne fuerit Vindicum genuinum sensum verborum Ballerinii inquirere et exponere, adeoque auream quamdam S. Ignatii (2) regulam servare, scilicet « christianum unumquemque pium debere promptiori animo sententiam seu propositionem obscuram alterius in bonam trahere partem quam damnare ; » an contra potissimam diligentiam posuerint in conquirendis capitibus accusationum qualibuscumque, veris an falsis. Et quidem hac diligentia seu potius contentione adeo obcæcati fuerunt, ut nonnumquam affixerint Ballerinio dicta

et fidem auctorum qui Ballerinio tribuunt contraria suis dictis;

(1) Pag. VII.
(2) *Exercitia spiritualia,* monitum ante 1m hebdom.

plane contraria his quæ reapse dixerat. Cujus hallucinationum generis exemplum in eodem illo *Memoriali* apparet.

qui idem dicunt quod Ballerinius, cujus pervertunt verba;

3º An quæ culpant in Ballerinio, ipsimet eadem non dicant. Sic *subacerbam animadversionem* Ballerinii appellant (1) quod scripsit « SUBINDE S. Alphonso contigisse ut fallacibus abduceretur allegationibus; » atque ipsimet alibi (2) « libenter concedunt quosdam perpaucos auctores INTERDUM a sancto suo pro aliqua sententia minus recte fuisse allegatos. » Quæ differentia inter *subinde* et *interdum?* « Sed, inquiunt, testante cl. Ballerinio, S. Alphonsus PASSIM auctores falso allegat (3). » *Subinde* Annotatoris est, *passim* Vindicum, ne calumniatorum dixerim. Qui postquam quinque Ballerinii loca, quibus traditur S. Alphonsus perperam fidem adhibuisse Salmanticensibus, Vivæ, Lacroix vel Mazzottæ, auctores aliquot falso allegantibus, et duo quibus ipse S. Doctor dicitur in adducenda theologorum auctoritate errasse, adduxerunt (quæ septem loca (4) utique pauca sunt); ipsi deinde exclamant: « Si itaque cl. Professori fidem adhibere velimus, S. Alphonsus passim se exhibet, non præstantissimum theologiæ moralis scriptorem, sed merum, quinimo *infelicem sententiarum doctorum collectorem.* » Et boni homines non eubuerunt tam falsis criminibus Ballerinium convenire! Qnid culpem? eorum in exagitando viro pertinacia abstulit eis libertatem animi.

qui res bonas dispersas odiose in unum congerunt;

4º An omnis accusationum vis in hoc non consistat, quod, quæ singula seorsim suisque locis posita laudabilia aut innoxia sunt, suis sedibus mota et in unum congesta videantur horrenda et portentosa. Et quidem, si ego vellem in unum locum conferre ea omnia quæ illi de nævis scriptorum S. Doctoris in *Responsione ad Animadversiones,* in *Summario addi-*

(1) *Responsio ad animadv.* pag. 118.
(2) *Summarium addit.* procem.
(3) *Ibid.*, loc. cit. *Vindiciæ,* pag. LIV.
(4) Alibi conqueruntur de octo aliis locis.

tionali atque in ipsis *Vindiciis* fateri coacti fuerunt, atque his præfigere titulum : QUAM INCREDIBILI AUDACIA DEGENERES S. ALPHONSI FILII SCRIPTA DOCTISSIMI SUI PARENTIS PROSCINDANT, atque ad finem addere exclamationes aliquot ad instar earum quibus Ballerinius in *Vindiciis* excipitur, hoc ipsum fecerim quod *Vindices*. Sed absit a me tanta indignitas tantaque in S. Alphonsum irreverentia (1) !

5° An propositarum quæstionum ratio non immutetur, ita ut de aliis rebus agat Ballerinius, de aliis Vindices. Cujus rei ut exemplum simplicissimum afferam, qua simul ostendatur quibus nugis pusillisque Vindices integras paginas impleverint, scripserat Ballerinius (2) de sententia negantium moribundum posse absolvi a quocumque presbytero, etiamsi adsit confessarius approbatus, « ægre profecto intelligi posse quomodo *communissima* dici queat opinio, adversus quam, ut in præsenti, produci facile queant viginti quinque ad minimum doctores. » Atqui non negant Vindices hunc doctorum numerum; res itaque transacta est : nequaquam. Quid ergo ? Divertunt Vindices a multitudine doctorum ad eorum auctoritatem. Fieri enim prorsus nequit ut rem quampiam etiam manifestissimam impune dixerit Ballerinius. Sed hæc controversia de lana caprina est; passim autem alibi, etiam in rebus alicujus momenti, statum quæstionum pervertunt Vindices, ut videantur aliquando non intelligere de quibus rebus agatur.

qui frequenter statum quæstionum non intelligunt aut mutant;

6° An scriptorum loca, ex quibus totus fere liber constat, ea contineant ad quæ adstruenda adducuntur ? Nam, ut facillimo denuo utar exemplo, quum testimoniis scriptorum stabilire conantur S. Doctorem *auctorem fuisse æquiprobabilismi*, afferunt verba cardinalium Feroni et Negrone, episcoporum Coppolæ et Albertinii, plurimorumque aliorum auctoritatem, excerpta ex *Nova Positione de virtutibus*, dicta theologorum et scripto-

qui præpostere auctores allegare solent;

(1) Quominus unum quidem locum afferam, v. g. ex *Responsione ad Animadversiones*, num. 343, pag. 150, prohibeor S. Doctoris reverentia.
(2) Tom. II, pag. 948.

rum Italorum, Gallorum, Hispanorum, Austriacorum, Germanorum et demum adversariorum S. Doctoris, verbo viginti octo columnas hac attestationum nube exornant; atqui ex universa illa hominum caterva alii laudant dumtaxat libros aut doctrinam sanctissimi viri, alii asserunt eum probabilistam moderatum fuisse aut æquiprobabilistam et unus dumtaxat Van Endert « S. Ligorium æquiprobabilistarum *parentem* et *choragum* » facit; cui tamen præiverant plus minusve Scavinius et forte Neyraguet, ut taceam Patutium, acerrimum S. Doctoris impugnatorem. Qui, ut eum theologum solitarium exhiberet, novi inducti systematis crimen ei objecit. Quod si in re tam facili erraverint, quid mirum quod in quæstionibus difficilioribus sæpenumero theologorum dicta aut non intellexerint aut inopportune adduxerint? Nolim tamen hinc discedere quin moneam S. Doctorem semper pertinaciterque negasse se novi systematis fuisse auctorem, quocumque nomine illud appelletur; ita ut aut Vindices erraverint aut S. Alphonsus.

qui vituperio non ratione respondent ad argumenta;

7° An firma sint Vindicum responsa ad Ballerinii argumenta. V. g. refellit hic Cardenæ sententiam actus caritatis esse multiplicandos adeoque singulis mensibus faciendos *ob summam hujus præcepti dignitatem.* Miserrimam miramque censet Annotator rationem, a summa præcepti præstantia petitam : « Profecto, inquiens, si quo præstantius est præceptum, eo potior debet esse obligatio frequentandi actus, cum præstantius sit præceptum sumendi Eucharistiam quam abstinendi a carnibus, concludendum foret, ad sumendam Eucharistiam plus quam bis hebdomadis singulis nos teneri. » Quid ad ineluctabile hoc Ballerinii argumentum Vindices? En eorum verba (1) : « In quantum autem P. Ballerinius concludit, quod « ad sumendam plus quam bis singulis hebdomadis « teneremur; » hanc suam conclusionem potius quam Cardenæ

(1) Pag. 147.

et Lacroix miserrimam dices, imo plane ineptam. » Atque his se solvisse argumentum Ballerinii arbitrantur Vindices. Deinde adstruunt Suarium aliosque eadem usos esse ratione; qua responsione, ut patet, Annotatoris argumentum nequaquam eliditur. Sed insuper nequaquam verum est hos eodem modo esse ratiocinatos quo Cardenam; nam Suarius, qui, ut sententiam refellat sufficere actus caritatis in fine vitæ facere, dignitatem præcepti commemorat, hanc dignitatem in tribus rebus ponit : « Plus enim, inquit, requirit divinæ amicitiæ ratio; tum, quia divina præcepta sæpius obligant; tertio, quia hic amor debet esse regula et principium necessarium actionum : ergo inordinatum est rejicere illum in finem vitæ. » Ita ut *dignitas præcepti* idem Suario sit quod Gallis *l'importance de l'exercice de la charité dans la vie chrétienne.* Similiter quod alii statuerunt sæpius in vita faciendum esse præceptum quod Christus ita commendavit ut id *primum et maximum mandatum* dixerit; optima ratio est. Sed in ipsa dignitate seu præstantia præceptorum vim quamdam sitam esse ut sæpius adimpleri debeant quam quæ minus sunt digna, ne Vindices quidem dixerint.

qui minus feliciter dialecticen usurpant,

8° An dialecticen valde acutam usurpent iidem. Equidem innocua exempla hactenus attuli, curans quantum potui ipsas sententias S. Alphonsi non attingere. Sed, quod hoc loco exemplum mihi redit in memoriam, aliquantulum ab hac lege recedit : quam quidem rem condonare mihi velit lector. Communiter scilicet docuerunt doctores famulis aut ratione famulatus aut aliis bonis de causis licere heri jussu munuscula meretrici deferre. Quam sententiam abjicit S. Doctor, inquiens : « Verius P. Concina putat hoc esse *intrinsece malum*, quia revera munera per se turpem fovent amorem. » Non placuerunt hæc Ballerinio qui affirmare non dubitavit « rationem, a Concina adductam, ab omnibus rejici. » Sed, inquiunt, Concina illis est posterior! Quid? Quando Christus, Zwinglio quindecim sæculis anterior, dixit : « Hoc est corpus

meum, » nonne rejecit Zwinglianum dogma : « Hæc est figura corporis mei ? » Addunt deinde illam rationem a theologis non rejici. Quid ? illi ipsi auctores, quos Vindices afferunt, statuunt deferre munuscula ad concubinam esse rem *indifferentem.* Nonne id est negare rem esse *intrinsece malam ?* Sed munusculis illis fovetur turpis heri amor. Hæc alia omnino quæstio est, quæ nempe ad cooperationem proximam aut remotam pertinet : adeoque hoc loco (ut in omni casu cooperationis) nulli disputationi locus esset, si malus finis mandantis non interveniret. Non quæro plura de hoc loco, quum mens non sit indagare verane sit necne Concinæ sanctique Alphonsi sententia, sed dumtaxat specimen dialectices Vindicum exhibere.

qui, in historia minime versati, miranda regula critices utuntur,

9° Siquando quidpiam occurrit quod ad historiam magis quam ad theologiam pertineat, quomodo inde se expediant, quas critices regulas usurpent. Accipe exemplum. Ut ipsi referunt (1), scripsit P. Joannes Baptista Faure in *Dubitationibus theologicis de consuetudinariis et recidivis :* « Doctrina a nobis superius tradita longissime abest ab hac stulta propositione, *quam nonnulli Lovanienses per calumniam fabricarunt, sicut et alias quasdam, quæ in decreto Innocentiano leguntur* (ubi locum LX occupat), eamque P. Baunio iniquissime adscripserunt, et Innocentio XI detulerunt ab eo condemnandam. Ea itaque propositio in nullo auctore legitur ; eaque præcipue clausula : *Dummodo ore proferat se dolere ac proponere emendationem* a nemine asserta est. Vide *Specimen Academiæ Lovaniensis*, etc. ubi hæc probantur. »

Quid ad hæc Vindices ? — Indulgeat mihi lector si jam flagellum satyricum arripio : quem enim juvenculi illi hoc loco irreverenter habent, non est qualiscumque vir ex Subura obvius ; sed venerabilis Joannes Baptista Faure, omnium professorum Collegii Romani, quum anno 1773 decreto Clemen-

(1) Pag. 735.

tino universa Societas Jesu suppressa est, longe celeberrimus, atque in arduis negotiis a Romanis pontificibus sæpius in consilium adhibitus (1) : qui enim neminem revereri possunt, ipsi aliquando minus clementer tractanti sunt. Accurrite itaque omnes docti indoctique; aspicite tirones, lanceis ligneis hactenus exercitatos, eosdemque jam mutatos in Faurii Ballerinii que animosos debellatores; audite turbam ingenuam, quæ numquam aperuit libros Baronii, Raynaldi, Cardellæ, Novaës, Moronii et maxime Pallavicinii, sed eruditam satis quæ *a priori* judicia historica pronuntiet : supremam critices regulam ex ore eorum excipite :

« MALE, inquiunt, HISCE ASSERTIONIBUS NOS ÆDIFICAVIT P. FAURE !!! » Quibus assertionibus repetitis, subjungunt : « Non nobis præsto est *Specimen Academiæ Lovaniensis*, quod allegat P. Faure; sed, etiamsi nonnulli Lovanienses falso denuntiassent Patrem Bauny S. J., id nobis certum est a priori (!) Innocentium XI nec hanc nec aliam propositionem per calumniam fabricatam damnasse. » Non viderunt itaque librum testimonialem, licet Romæ non difficilem inventu, quippe theologis Romanis olim scriptum; sed sciunt a priori ! O fortunatos historicos ! Nil umquam legerunt de Universitate pristina Lovaniensi, nil de Jansenistarum Belgarum insidiosis molitionibus; libros historicos illis de rebus tetigerunt nullos; sed « a priori eis certum est, » toto cælo a veritate aberrasse et malæ crucis dignum esse infelicissimum Faurium « qui eos male ædificaverit ! » Abite boni juvenes; innocentiam servate et nolite umquam conversari cum historicis ecclesiasticis : possent enim vos male ædificare.

Quod si lector serius jam quærat quid demum ea de re tradat *Specimen doctrinæ theologicæ;* en paucis. Imprimis non agitur de re dogmatica aut qualitercumque cum dogmate connexa, sed de re nude historica; scilicet 1° an prisca facul-

(1) Caballero, *Bibl. scriptt. Soc. Jesu supplementa*, tom. I. p. 129.

tas theologica Lovaniensis, quum in ea fere dominarentur Jansenistæ, calumniose fabricaverint propositiones erroneas et scandalosas easque attribuerint theologis Jesuitis et ad sanctam sedem damnandas detulerint; et 2° an eas interveniat, P. Baunio tributa, propositio LX inter damnatas ab Innocentio XI; qui pontifex non quæsivit fueritne hæc ab ullo umquam theologo tradita aut commendata, an fraudulenter a Lovaniensibus denunciata, contentus doctrinam erroneam, qualiscumque ejus esset origo, reprobare et proscribere : res itaque illa est. Porro in *Specimine*, parte IV, cap. XXIII *de absolutione*, pag. 419, post relatam secundam propositionem, ipsissimis conceptam verbis quibus Propositionem Innocentianam LX, hæc annotatio subjicitur : « Fuit hæc propositio articulus primus inter XXXVIII, quos facultas theologica solemniter ac sigillatim censuravit. Occasio fabricando articulo præbita est a Ludovico Montaltio (genuino nomine Blasio Pascal) epistola X, et auctore anonymo libri infamis *Theologie morale des Jésuites*, sect. de pœnitentia, num. 35, pag. 29 (alias 28), qui Stephano Bauny adscribunt doctrinam; [quod et fecit facultas theologica in exemplari XXXVIII articulorum , a se Jesuitis dato.] » Et dein adducitur Guilielmus Le Maire in *Statera Saulis*, etc. Qui pleraque illa repetit et ex Baunii scriptis calumniam patefacit. Notandum vero est *Specimen*, a præstantissimis catholicis theologis Belgis collectum, die 22 martii 1678 a Nicolao Du Bois, Jansenistarum debellatore imperterrito et erudito, sincerum recognitum, Romam fuisse missum, priusquam Innocentianum decretum prodiit, et postea typis secundum exemplar authenticum Moguntiæ fuisse editum.

qui pueriliter solvunt difficultates.

10° An puerilitas, quam modo in rebus historicis deteximus, non deprehendatur item in ratiociniis, in auctorum explanatione atque etiam in interpretatione responsionum sacrarum congregationum. Ecce iterum exemplum : « Ad scrupulum fratris Ephrem Chasteau, proagentis Recollectorum

Galliæ, nempe *se non tetigisse tactu physico calicem in sua ordinatione ad presbyteratum*, S. C. [R.] respondit posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo ac tuta prorsus conscientia. Die 3 decembris 1661. » Ad quæ subdiderat Gurius : « Præfata decisio recentius ab eadem Congregatione confirmata. Etenim, cum similis casus Romæ pro neosacerdote Collegii Romani S. J. evenisset [scilicet, prout illic exponitur, quod neque calicem, neque patenam physice tetigisset], P. Perrone, operibus theologicis notissimus, S. C. R. interrogavit; quæ idem omnino responsum dedit, ex declaratione authentica jam prius facta, occasione scrupuli fratris Ephrem. Die 21 januarii 1863. » Quid ad hæc Vindices? « Dubitasse fratrem Ephrem an calicem tetigerit aut *saltem rite et debito modo tetigerit;* S. Congregationem autem declarasse hanc suam dubitationem inanem et merum scrupulum esse; » quasi umquam aliquis sensisset inanes merosque scrupulos in hac parte non esse negligendos; et « conjicere licere Cl. Patrem Perrone nonnisi oretenus S. Congregationem de isto casu interrogasse. » Quæ mirabilis interpretatio locum dat implendis viginti columnis.

Quæ puerilitas universum librum pervadit; nam nihil serii sibi proposuerunt,

Sed illa puerilitas totum librum pervadit. Quem enim sibi proposuerunt scopum Vindices ? Ex libris Patrum apostolicorum, subsequentium Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, scholasticis antiquiorum, (quos plerosque, potissime recentius editos, numquam versarunt theologi morales,) ostendere quæ omni ævo de moribus docuerit ecclesia? Quæ res, utpote causa progressionis maximæ theologici studii, esset utique utilissima et a nemine hucusque feliciter tentata. Nequaquam. Ne cogitarunt quidem.

Consiliumne eorum fuit singularibus aliquot quæstionibus momenti maximi neque minoris difficultatis, ut quæ pertinent ad missiones apostolicas aut quæ ortæ sunt ex scientiarum, industriæ et mercaturæ renovatione, lumen affundere, argumentis novis solutiones probabiles munire, objectiones

nondum dissipatas solvere, verbo lacunas quæ in S. Alphonsi exsistunt libris explere? Quid hæc ad illos?

Induxeruntne saltem sibi in animum res minimas, quibus distineri amaverunt, exponere clarius, illustrare diligentius, inspicere penitius, argumenta et difficultates tractare majori arte et diligentia? Recitarunt multa auctorum loca, ea ne semper quidem intelligentes; sed revera ex ingenti hac congerie nulla facta est theologiæ morali accessio; nisi quod *Clavis operum moralium S. Alphonsi,* quæ ad finem legitur, plane non inutilis est.

An occasione rerum illarum minimarum studuerunt explicare ad instar Cancellarii admirabilem eruditionem? Videre fuit quantum floreant eruditione et arte critica.

Propositumne eorum saltem fuit extollere gloriam parentis sui S. Alphonsi, ejus scientiam commendare et auctoritatem munire? Hoc revera professi sunt; sed hactenus neminem vidi, aliquantulum in *Vindiciis* versatum, qui non dixerit eos ita hac parte fuisse functos ut non parum detrimenti S. Alphonsi auctoritas passa sit.

sed id unum per bis mille columnas castigare Ballerinium.

Hoc eorum præcipuum seu potius unicum consilium fuit bis mille columnis venerabilem senem lacessere, perfodere, conficere. Atque ut hoc consilium, pueris vix dignum, exsequerentur, finxerunt virum, quo nemo magis laudavit S. Alphonsum, beati doctoris adversarium, ita ut hic ne minima quidem in re atque etiam modestissime ab eo dissentire queat quin continuo exlament: *Exprobrat Cl. P. Ballerinius, Vitio vertit Cl. P. Ballerinius!* qui numquam cogitavit quidquam vitio vertere aut exprobrare. Nonne hic puerilis mos est, maxime si in sodales invidia flagrent, omnia in malam partem accipere seque semper et ubique ab aliis male haberi conqueri? Sed quidni similiter accusant sanctum parentem quod doctissimis sanctissimisque viris sua dicta exprobrat aut vitio vertit, quando discedit a SS. Thoma et Bonaventura, a Scoto et S. Antonino, a Vasquio et Suario, a Lessio et Lugone, quos

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ipse et alii inter principes theologiæ referre solent : quasi non liceat ab altero dissentire absque ejus injuria.

Plane ita non sentiebat S. Alphonsus ipsemet; qui, ut libro III capite XXXI refert Tannoja, plane nolebat alios ad sequenda sua placita constringi; adeo ut, quum examinatores synodales repulerant Paschalem Deodatum, parochiam S.Joannis Baptistæ de Bucciano petentem, quod adversas *Theologiæ Morali* sententias sequeretur, cassum fecerit judicium et candidato beneficium contulerit, dicens « doctores, secundum quos respondisset, classicos esse et probatos; sibi auctoritatem non inesse, et unumquemque intra terminos, statutos ab ecclesia, opinionibus suis adhærere posse. » Hæc episcopalia sensa, hæc doctore ecclesiæ verba dignissima.

Vindicum peccatum Congregationis Alphonsianæ, quam nemo satis laudaverit, peccatum non est :

Quum itaque *Vindiciæ* tales sint, nonnihil mirum esset eas in publicum venisse, nisi tot alii libri adhuc pejores, anteactis temporibus vidissent lucem.Adeoque quis ignorat Concinæ libros, sæpe in doctissimos Dominicanos non minus injurios quam in præclarissimos Jesuitas, non solum approbationibus, sed etiam maximis laudibus exornatos, venum fuisse expositos? Sed et animadvertendum est supremum rectorem Congregationis Ligorianæ, qui libros a P. Julio Jacques aliisque sodalibus in Belgio editos suo chirographo munire solet, ab omni *Vindiciarum Alphonsianarum* approbatione abstinuisse. Et quidem, ut quod sentio aperte libereque profitear, persuasum omnino mihi est eos in SS. Redemptoris Congregationem ejusque superiores et omnes fere sodales injurios esse, qui velint in eos relegare *Vindiciarum* invidiam. Hoc opus est ferventium aliquot capitum, quæ in omni congregatione et ordine religioso reperire est. Quod opus quum ita comparatum sit ut, quamvis typis nitidis expressum, tantum tædium et fastidium pariat ut patientissimus quisque post versatas aliquot paginas cum satyrico Persio exclamet: « Quis leget hoc? » profecto exspectari non potuit ut censores talem farraginem, omnibus impedimentis cum scriptura conjunctis im-

plicitam, plene inspexerint et examinaverint. Aderat dein calor quidam adversus Ballerinium, quem sibi adversari figuraverant animo, et fervor vindicandæ S. Doctoris gloriæ, quam violatam falso arbitrabantur. In media itaque illa contentione non potuit consistere perfecta animorum libertas, et, ut fieri solet quum homines non omnino sui compotes sunt, captum est consilium quod omnium minime capi debebat, permissusque est liber absque ulla commendatione in lucem prodire. Multitudo utique pro more applausit, nescia quid faceret; sed viri graviores, doctiores et sanctiores Congregationis SS. Redemptoris secus senserunt omnino. Alii superioribus Societatis Jesu profiteri se amarissime deplorare *Vindiciarum* editionem; alii adire prælatos ecclesiasticos et dicere se timere ne *Vindiciis* insit plus passionis (vocabulum aliud non occurrit) quam sapientiæ; alii aliter improbare librum: adeo ut dici nequeat ullum virum prudentem inter sodales Congregationis SS. Redemptoris stare pro *Vindiciis*. Habeantur hæ itaque paucorum peccatum, quod et ipsi expient; ipsa autem Congregatio ametur in dies magis, crescat existimatione et numero, abundetque fructibus spiritualibus.

Vera decora hujus Congregationis.

Neque enim minima jam est ejus gloria. Parentem habet, qui minus centum annis ab ejus obitu non solum canonizationis honores, verum etiam rarissimum doctoris ecclesiastici titulum, rogantibus omnibus fere episcopis et prælatis cujuscumque ordinis, decreto apostolico consecutus est. Eodem illo temporis spatio duos educavit filios, F. Gerardum Majellam et P. Joannem Hoffbauer, qui, ut omnium spes est, opinione citius recensebuntur item inter cælites. Neque hoc singulare sanctitatis charisma cessavit: novi enim et aliquantisper amicum habeo discipulum Ven. servi Dei Joannis Hoffbauer, qui Bruxellis in sacro pœnitentiæ tribunali innumeros peccatores ad Deum reduxit non verborum lenociniis, sed singulari illo zelo qui quasi dos peculiaris sanctorum sit; neque dubito quin alibi alii exsistant eodem dono ornati. Quantum deinde

alii laborarunt et laborant in sodalitiis, in missionibus, in exercitiis spiritualibus, inter prædicandum Dei verbum et confessiones excipiendas spargentes bonum odorem Christi! Quot alii exemplo sui parentis scripserunt libros, non tetricam sed suavem pietatem spirantes! Mitto Italiam, Germaniam et Angliam : in uno Belgio asceticam fere bibliothecam conficeres ex his quæ scripserunt PP. Leop. Dujardin, Julius Jacques aliique. Sed profecto prætereundus non est reverendissimus vir Victor Augustus Dechamps, qui, non contentus impietatem malosque mores ex cathedra impugnare, eadem felicius an solertius libris scriptis persecutus est (quibus libris insignem inter recentiores apologetas christianos locum sibi promeruit); cui non dubitavit SS^{mus} D. Pius papa IX diœcesim sesquimillionis incolarum committere et qui in concilio Vaticano inter primores apparuit. Hæc ejus decora indubitata, quæ obscurare nequeunt umbræ, a *Vindiciis* cadentes. Hæc decora velim augeri et multiplicari ad Dei gloriam animarumque salutem ; neque velim tantum, sed Deum, patrem misericordiarum omnisque boni auctorem, supplex rogo ut ad id assequendum copiam suæ gratiæ in Congregationem illam effundere pergat. Hæc mea ultima vota, qui puer didici S. Alphonsum venerari et conditam ab eo Congregationem diligere, qui eam aliquando eximiis laudibus extuli et qui beatum me fore profiteor, si concilium Vaticanum,quando denuo conveniet, singulari approbatione Alphonsianam institutionem confirmet, quemadmodum concilium Tridentinum ex proposito *pium* dixit Societatis Jesu institutum. Præter divinam gratiam et gloriam nihil præclarius apprecari possum. Atque hæc præfanda habebam.

Sequuntur jam aliquot documenta, quibus *Vindiciarum* natura magis magisque innotescet et Ballerinius ab obtrectatorum criminationibus, quantum satis est, liberabitur.

JUDICIUM

presbyteri sæcularis Belgæ olim Ballerinii discipuli

DE VINDICIIS ALPHONSIANIS

EXCERPTUM EX ACTIS MENSTRUIS BELGICIS:

Le Mémorial, revue des intérêts religieux.

(JUILLET 1873)

Une Question théologique très-importante, celle de l'autorité de la doctrine de S. Alphonse de Liguori, est agitée en ce moment, à propos d'un ouvrage volumineux, les *Vindiciæ Alphonsianæ*, publié par les Pères de la Congrégation du Très-Saint Rédempteur. Le *Mémorial* (liv. d'avril, p. 359 et Ss.) a déjà fait connaître ce livre d'après l'appréciation d'un de ses abonnés; il ajoutait en *note*: « Nous avons inséré avec le « plus grand plaisir l'article bibliographique que l'on vient de lire. Nous « accueillerons avec le même empressement les communications qui nous « seraient faites ultérieurement sur ces questions. »

Tout en faisant de cette manière nos prudentes réserves à l'égard de controverses où l'ardeur de la lutte peut conduire à des opinions partiales et moins bien établies, nous voulions provoquer la lumière et mettre ainsi nos lecteurs à même de suivre ces discussions importantes.

Il a été satisfait à notre désir. Nous avons reçu un article remarquable écrit en latin, comme il convient en ces matières; l'auteur de cet article a tâché d'exposer et d'éclaircir les questions agitées, à propos de la doctrine de S. Alphonse, entre le Père Ballerini et les auteurs des *Vindiciæ*, sans déclarer au fond ce qu'il faut penser de la controverse en elle-même.

Un autre abonné nous a signalé un article de l'*Univers* en faveur des *Vindiciæ* et nous en a envoyé de longs extraits avec prière d'insertion. Cet article a reçu une réponse du Père Ballerini lui-même; l'impartialité nous fait un devoir de ne pas donner l'article sans la réponse ; et nous devons, en ce cas, publier les deux pièces en entier plutôt que par extraits. Nos lecteurs trouveront donc ci-dessous : 1° la Note latine qui nous a été communiquée, 2° l'article de l'*Univers*, 3° la réponse du Père Ballerini à l'*Univers*. Ils seront ainsi au courant de toute la controverse, et nous ne nous occuperons plus de cette lutte à moins de circonstances spéciales : car d'abord nous ne voulons pas prendre place parmi les combattants, et, d'un autre côté, la question en elle-même ne doit pas être traitée dans les journaux ou les recueils. Les questions théologiques proprement dites méritent une autre langue et une autre place.

La Rédaction.

DE VINDICIIS ALPHONSIANIS

Quantopere doctrina S. Alphonsi de Ligorio commendata fuerit variis S. Sedis decretis, atque illo nominatim quo B. Antistes, corona sanctitatis jam adornatus, titulo ac gloria doctoris auctus fuit, nemo est qui ea vel obiter legens perspectum non habeat. Quæ commendatio maxime in scholam theologicam ac præsertim moralem et in praxim confessariorum salutarem suam vim exercuit et exercere pergit. Inde patet quanti sit momenti ut sensus horum decretorum recte determinetur, ita ut ex una parte non minuatur, ex altera vero non exaggeretur vis, quam ex mente ecclesiæ habent : ea in re enim excessus sicut et defectus scientiæ theologicæ profectui simul ac veritati adversaretur. Mens ecclesiæ,

Inter theologos, qui huic quæstioni hisce ultimis temporibus maximam operam impenderunt, veniunt cl. auctores libri, cui titulus : « *Vindiciæ Alphonsianæ.* » Hunc librum non solum multæ ephemerides evulgarunt, sed etiam ejus occasione nonnulli compendiose quasdam quæstiones theologicas, in eo disputatas, gallico sermone, a scholis alieno, publice tractarunt. opera S. Alphonsi approbantis,

Ut mentem nostram, quæ non omnino cum cl. au- indagatur.

ctoribus consonat, aperiamus, 1° triplex Sanctæ Sedis circa opera S. Alphonsi judicium referemus; 2° quædam ex *Vindiciis* per modum exempli proponemus in quibus nobis videntur a recta interpretatione decretorum declinasse ; 3° ut horum documentorum verus sensus facilius intelligatur plura exscribemus ex eis quæ de hac re sapienter monentur in opere periodico « Acta S. Sedis, » Romæ edito (Vol. 1 et 6); 4° tandem sensum *Adnotationem* Patris Ballerinii in *Vindiciis* non esse quærendum aliquot exemplis demonstrabimus.

Tria edita decreta in quibus ecclesia non dixit.

I. *Decreta*. Primum decretum latum est a S. Rituum Congr. die 14 maii 1802 in ordine ad beatificationem : eo declaratum est « *nihil censura dignum fuisse repertum et procedi posse ad ulteriora ;* » quod decretum probavit Pius VII.

Alterum latum est a S. Pœnitentiaria die 5ª julii 1831. Petierat Card. de Rohan-Chabot, Arch. Vesuntionensis : 1° « *Utrum sacræ theologiæ professor opiniones, quas in sua Theologia Morali profitetur B. Alphonsus a Ligorio, tuto sequi ac profiteri possit;* 2° *An sit inquietandus confessarius, qui omnes B. Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi S. Pœnitentiæ tribunalis, hac sola ratione quod a S. Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit.* »Monuerat autem Em. Præsul : « *Confessarius, de quo in dubio, non legit opera B. Doctoris nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve, quibus variæ nituntur opiniones : sed existimat se tuto agere eo ipso quod doctrinam, quæ nihil censura dignum continet, prudenter judicare*

queat sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicæ contrariam. » S. Pœnitentiaria, perpensis expositis, respondendum censuit : « *Ad 1) Affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones, ab aliis probatis auctoribus traditas, sequuntur. Ad 2) Negative, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.* »

Tertium judicium latum est die 7° Julii 1871, quando a S. P. Pio IX de consulto Congr. Rit. S. Alphonsus declaratus est universalis ecclesiæ doctor.

Vindicibus Alphonsianis fatentibus, S. Alphonsi doctrinam ubique esse veram;

II. *Vindiciæ*, licet fateantur S. Sedem minime declarasse omnes et singulas sententias S. Alphonsi esse *absolute veras* (p. XXXIV N° I), tenent illum, qui *aliquam* S. Alphonsi doctrinam penitus falsam pronuntiaret, graviter offensurum esse reverentiam tum ipsi S. Doctori, tum maxime Apostolicæ Sedi debitam, *quia id perinde esset ac judicium S. Sedis implicite reformare* (p. XXXV N° III). Alibi rursus concedunt non esse impossibile ut aliquæ ex sententiis S. Alphonsi falsæ et improbabiles forsan demonstrentur, siquidem, ut aiunt, ad probabilitatis rationem pertinet ut subesse possit falsitas (p. XLII N° IX, 1); at, inquiunt, quis earum falsitatem demonstrabit? Respondent : « *Nemo nisi solus doctor omni exceptione major,* quia *omnes S. Alphonsi sententiæ* hodie non reformatæ dicendæ sunt sententiæ *communes aut saltem sententiæ communis vim habentes* [1] : » jam vero ut auctoritas

[1] Hoc si intelligatur de omnibus et singulis sententiis S. Alphonsi,

unius doctoris opinionem probabilem aut probabiliorem contra communem constituere valeat, requiritur non solum ut sit auctor valde doctus, probus, prudens, etc., sed doctor omni exceptione major. Quis ergo demonstrabit, etc.? (p. XLIII, 3.)

contendunt tamen iidem Vindices neminem practice posse aliter sentire,

Eodem modo aliquid, quod negari non potest, primo concedentes et deinde concessionem restrictionibus et monitionibus quasi ad nihilum contrahentes, hanc quæstionem tractant : « An facultas sit vel obligatio esse aliquando possit sequendi sententiam diversam a sententia S. Alphonsi? » Quam quæstionem præterea ita proponunt quasi præsertim ageretur de theologo aut confessario, qui *ex suo privato judicio tantum* opinionem, ab opinione S. Doctoris diversam, probabilem aut probabiliorem judicaret, dum contra præcipua quæstio ponenda est *de theologo aut confessario, qui ita sentiret, non tantum ex suo privato judicio, sed ex auctoritate et argumentis aliorum probatorum auctorum.* (p. XXXVIII, N° VII, I. — p. XLIV, N° IX, 5, 6.)

Plura afferri possent, sed hæc sufficere nobis videntur, ut lector, ea cum mox dicendis conferens, concludat *Vindicias* in interpretatione decretorum in pluribus per excessum a veritate declinasse.

quamvis ecclesia statuerit tantum in S. Alphonsi Operibus nihil esse quod obstet ejus canonizationi ;

III. [Subdimus] excerpta ex opere « *Acta Sanctæ Sedis.* »

« 1° De primo et secundo judicio : « Utrumque

ut intelligitur a *Vindiciis* in præsenti argumento, et eo sensu quo *in theologia* aliqua sententia dicitur communis, certo admitti non potest; nec evincitur argumentis a cl. auctoribus allatis p. XLI, 5, ad probandam thesim omnino diversam, ad quam tamen hoc loco remittunt, scilicet : « S. Alphonsi opiniones *generatim* hodie dicendas esse communes. » *Mém.*

Sanctæ Sedis judicium latum non fuit super doctrina (S. Alphonsi) considerata *absolute propter seipsam*, sed super doctrina *relative* considerata *propter aliud*. Aliud est enim judicare super doctrina ad ejus dignoscendam et declarandam veritatem; aliud est judicare de doctrina quatenus ea non obstet ad aliquem peculiarem extrinsecum effectum. Si priori modo judicium a S. Sede latum esset, non liceret catholico a sententiis S. Alphonsi recedere omnesque diremptæ existimari deberent innumeræ quæstiones, quæ inter moralistas et juristas jugiter agitantur..... Si altera vero ratione judicium latum sit, mensura quodam modo hujus judicii desumenda est ex indole finis, ob quem judicium latum est. Porro primum S. Sedis judicium latum est ad finem adnumerandi B. Alphonsum inter sanctos utpote virtutibus theologalibus et cardinalibus in gradu heroïco præditum. Itaque in examen et ad trutinam opera revocata sunt ut inquireretur an aliquid in eisdem operibus scriptum a servo Dei esset quod *actui canonizationis* obstaret. Ad quem effectum non inquiritur *de sententiarum veritate quæ inter catholicos disputantur vel disputari possunt*, sed inquisitio instituitur an aliquid auctor scripserit *quod rectæ fidei et bonis moribus opponatur* (Hic appellatur ad decreta Urbani VIII et ad auctoritatem Bened. XIV). Hæc autem multum conferunt ad intelligendum quo sensu accipi debet judicium illud S. Sedis, quod emittere solet post operum examen alicujus servi Dei ut procedi possit ad ulteriora. Hoc enim judicium nullomodo respicit sententias, quæ aliqua gaudent probabilitate, quæque inter

auctores disputantur vel disputari possunt. Quod autem ex hoc judicio S. Sedis inferri potest (quod est quidem maximi momenti), illud est nempe unumquemque catholicum, qui non valeat ulterius de veritate *opinionum* inquirere [1], posse prudenter sequi magistrum et doctorem illum, qui nihil scripsit censura dignum, quæ obstaret canonizationis actui, quique inter cælites adnumerari meritus est; cui proinde cum doctrina non defuit heroïca prudentia et subjectio legi Dei et ecclesiæ ejus. Neque alius videtur esse sensus alterius judicii ad secundum quæsitum : cum enim in eo quæreretur *an sit inquietandus*, etc. responsum est « *negative*, *habita ratione*, etc. » Quibus verbis aperte indicavit S. Pœnitentiaria prudenter agere confessarium illum, qui sequitur in praxi S. Alphonsi opiniones, ob solam rationem quod a S. Sede nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit, ita tamen ut hæc verba « *nihil censura dignum* » intelligantur non absolute, sed de ea censura, quæ si adesset, obstitisset canonizationi ejusdem. »

« Quilibet itaque, si grave aliquid non obstet (puta aliqua posterior authentica declaratio, qua soluta sit aliqua quæstio, vel ex scientiæ moralis profectu aliqua sententia suam amiserit probabilitatem), sese tuto accommodare potest doctrinæ S. Alphonsi;.... ita tamen ut dicendi non sint imprudenter agere qui alias sententias sequantur (servata semper prædicta exce-

[1] Hæc verba non sunt intelligenda. quasi ille *solus*, qui non valeat de veritate opinionum alterius inquirere, possit prudenter sequi, etc. *Mém.*

ptione), quæ ab aliis probatis in ecclesia auctoribus docentur. »

« *Quibus consona est responsio S. Pœnitentariæ priori quæsito data..... affirmative, quin tamen inde, etc.* » Ex qua responsione, qua declaratum est S. Alphonsum esse *unum ex probatis auctoribus*, cujus opiniones qui sequitur, tuto agit, non recte aliquis inferret per particulam *tuto*, in Dubio expressam, declaratas fuisse *veras* omnes laudati episcopi sententias; quod dignoscitur ex altera responsionis parte, qua reprehendendi non sunt qui opiniones, ab aliis probatis auctoribus traditas, sequuntur... Pariter ex eadem particula *tuto* non bene quis inferret, licere cuilibet S. Alphonsi opinionem sequi, quamvis cognoscat sive ex propria scientia sive ex competenti auctoritate, opinionem, quam sequitur, esse *evidenter falsam*... Namque S. Pœnitentiariæ responsio non innititur principio scientiæ, quatenus scilicet quidquid docuerit S. Alphonsus verum sit, *sed innititur aliis extrinsecis prudentialibus rationibus*, ob quas, qui ejusdem sequitur sententias, prudenter ideoque tuto agit... Excepto casu quo evidenter ipsi constet aliquam sententiam falsam esse. » « *Hæc omnia dicta intelligantur non ad detrahendum (quod absit) auctoritati tanti viri, cui per hæc quæ diximus nihil detrahimus; sed ut justo pretio habeatur S. Sedis judicium : quidquid enim ultra veritatem protenditur, error est; qui, quantum fieri possit, declinari debet.* »

2° ejus sententias unumquemque posse tuto sequi, quin quidpiam de earum veritate statuatur;

De tertio judicio hæc inter alia adnotat scriptor *Actorum Sanctæ Sedis:* 1) « Doctoris ecclesiæ titulum

3° cum aliis ecclesiæ do-

toribus accensendum esse, ob bonum quod egregiis suis scriptis præstitit.

illis luminaribus, ex universali veluti ecclesiæ consensu, ab antiquis temporibus fuisse tributum, qui, sanctimonia vitæ refulgentes, suis scriptis ecclesiam universam aliquomodo illustrarunt; 2) ideoque eminentiam doctrinæ non fuisse *absolute* consideratam ut doctores appellarentur, sed *relative* ad magnum aliquem effectum, quem, pro varia ecclesiæ conditione, præclaro ingenio, sanctimonia et doctrina sunt consecuti; 3) hæc omnia abunde reperiri in S. Alphonso, *qui sanctitate vitæ præstitit, et suis copiosis scriptis, præsertim in re morali, adeo refulsit, ut, extincto universim fere practico jansenismo, totius propemodum ecclesiæ suffragium sit promeritus, meritoque habendum ecclesiæ doctorem prudentiæque moralis nostro ævo parentem.*»

Hinc sententiæ S. Alphonsi sunt valde commendandæ, ita tamen ut ab iis recedere theologo liceat.

Ex his sequitur 1° doctrinam S. Alphonsi a S. Sede maximam accepisse commendationem, etiam quoad valorem et meritum intrinsecum, et unumquemque prudenter ideoque tuto posse sententias S. Doctoris amplecti, quoties non constat *aliquid grave obstare*, ut dictum est; 2° non fuisse declaratum a S. Sede omnes et singulas sententias S. Alphonsi esse *veras*, aut *communes* aut *probabiliores* : consequenter 3° si quis, in quæstionibus inter probatos auctores disputatis, judicet S. Alphonsum in errorem abductum fuisse in efformanda sua opinione, idque theologicis argumentis tum intrinsecis tum extrinsecis demonstrare conetur, et contra sententiam S. Alphonsi concludat, is neque judicio ecclesiæ contradicere, neque reverentiam S. Doctori debitam offendere, dici potest; libertate ea utitur, quæ in scholis theologicis semper in usu

fuit, quamque ecclesia non tantum non damnat, sed potius semper et ubique tuetur ut legitimam contra nimium partium ardorem; qui non semel,ut ex historia notum est, in controversiis, plus quam æquum erat, exarsit. Hoc animo sane et sapientissima providentia, priori parti declarationis supra relatæ, qua S. Pœnitentiaria decernit professorem S. Theologiæ posse tuto sequi et profiteri opiniones S. Alphonsi, addita est altera pars etiam declaratoria,qua decernit non esse reprehendendos illos, qui opiniones, ab aliis probatis auctoribus traditas, sequuntur.

IV. Hisce eo perducti sumus ut saltem aliquid expressius dicamus de judiciis *Vindiciarum* circa *Adnotationes* P. Ballerinii.

Ballerinius, quasi hanc libertatem ultra limites usurpasset, perperam accusatur;

Libenter fatemur P. Ballerinium ea scientifica libertate usum esse, quæ ex superius dictis et relatis legitima demonstratur. Utrum licitos limites transgressus sit quæritur. Id contendunt acerrime *Vindiciæ*, indignabundæ quod in causa Doctoratus S. Alphonsi promotor fidei, qui *ex officio* objectiones *quærere* debet, occasionem arguendi contra *Theol. Mor.* S. Doctoris arripuerit ex *Adnotationibus* P. Ballerinii, et inde cl. professorem traducunt veluti systematicum S. Alphonsi adversarium.

Nobis nunc nec animus nec necessitas est perpendere omnia, quæ in *Vindiciis* in hunc finem congesta reperiuntur, neque singillatim discutere quid veri, quid falsi aut minus accurate dicti sive in *Adnotationibus* Ballerinianis, sive in *Vindiciis* proferatur. Hanc provinciam relinquimus ipsi P. Ballerinio : et non du-

bitamus quin cl. Professor ea sinceritate et scientia id exsequatur, quam in illo experti sumus. Interim ut appareat quantum differat P. Ballerinius ab eo, quem tam atris lineamentis *Vindiciæ* depingere satagunt, sequentes animadversiones ponimus.

qui primis decem sui magisterii annis pro libro manuali *Theologia Morali* S. Alphonsi usus est,

a) P. Ballerinius, in amplissimo Collegio Romano a multis annis professor, non obstantibus pluribus methodi incommodis, usque ad annum 1866 non alio manuali usus est quam *Theologiæ Moralis* S. Alphonsi, nihilque antiquius in suis prælectionibus habuit, sicut etiam in suis scriptis, quam ut meritum S. Doctoris extolleret, ejusque doctrinas commendaret et propagandas suaderet, uti testari possunt tot alumni, qui ab eo didicerunt hæc eadem facere in Italia, in Germania, in Gallia, in Belgio, etc.

dein Compendio Guriano, ad ejusdem mentem concinnato:

b) Si anno 1866, rogantibus discipulis, alium librum manualem adhibere cœpit, non alium elegit quam *Compendium* P. Gury, quia ad mentem S. Alphonsi concinnatum, ut legitur in ipsa operis præfatione : « Cum « autem proximis hisce temporibus præclaram huic « scientiæ lucem affuderit ex supremo S. Sedis judi- « cio S. Alphonsus de Ligorio, nil potius certiusque « visum mihi est, quam ut egregium hunc ducem se- « querer, ejusque doctrinam nova quadam forma ac « ordine digestam exhiberem. » Adhæret igitur P. Ballerinius doctrinæ S. Alphonsi fere in omnibus quæstionibus.

quin et in Dissertatione speciali docuit san-

c) Si in nonnullis a sententia S. Alphonsi recedit, et idcirco *Adnotationes Compendio* P. Gury adjicit, advertatur semper agi de quæstionibus libere in scho-

lis disputatis, quas solvere nititur cl. professor tum rationibus intrinsecis, tum maxime *probatorum auctorum auctoritate*. Cæterum P. Ballerinius, non obstante hoc dissensu, libenter fatetur « ex Apostolicæ Sedis judicio solam S. Alphonsi auctoritatem efficere ut non solum absque censura sed etiam absque ullo laxitatis periculo vel suspicione, opiniones ejus, intimis etiam rationibus minime perspectis, amplecti et in praxim deducere tuto liceat. » *Diss. de Syst. mor.* p. 8.

ctum virum esse ducem tutum.

d) Falsum est denique P. Ballerinium tribuere quibusdam S. Alphonsi opinionibus notas et vituperia; quæ, nimis præjudicato studio collecta, *Vindiciæ* initio operis gradatim exponunt. Accipe quædam exempla ex thesi V (p. LIX), quæ coronidis instar quatuor aliis jungitur, ut ex ingressu operis lector præjudicet quam infensus sit P. Ballerinius doctrinis S. Doctoris, et quæ sic sonat : « Verum et alia patiens *(sic)* lector benigne excipiat. Testante enim cl. Professore, S. Alphonsus nonnullas tradit opiniones SINGULARES, IMPRUDENTES, ABSURDAS, RATIONI NON CONSONAS.

Quam infeliciter Ballerinius a Vindicibus accusatur vituperii in S. Alphonsum :

1° Ut hanc thesim probent, *primo loco*, referunt *Vindiciæ* pag. LIX phrasim Ballerinii decerptam ex nota *b*, pag. 220, vol. I Gury : « Quidam, uti Roncaglia, Mazotta, etc. apud S. Alphonsum, hanc mensuram sic exprimunt, quasi pauperibus eroganda sit pars quinquagesima annuorum reddituum; quæ regula, dum non distinguit superflua a non superfluis, *plane sonat quid absurdum.* » Hic sistit citatio *Vindiciarum* pag. LIX; sistamus et nos. Quid, quæro, P. Ballerinius ab ipso S. Alphonso *absurde* dictum

1° approbata S. Alphonsi de eleemosynarum quantitate sententia, dicitur eam injuriose impugnasse;

asserit? Expresse dicit hanc regulam *a Roncaglia, Mazotta,* etc. apud S. Alph., haud accuratis verbis conceptam esse, ita ut posset intelligi sensu qui absurdum quid sonaret, quamvis isti theologi rectum sensum teneant; minime vero affirmat id absurde dictum esse a S. Alphonso. Immo, laudem immediate subnectit S. Alphonsi per verba sequentia, quæ omittuntur a Vindicibus pag. LIX, et quæ sic habent : « CLARIUS S. Alphonsus(*Homo Apostolicus*, Tract. 4, n. 19) sic habet : « Non tamen adest obligatio præstandi « totum superfluum, sed sufficit, si detur quinquagesima « pars annuorum proventuum *qui supersunt*, et si red- « ditus sunt pinguiores minus quinquagesima parte. » Ergo P. Ballerinius tenet ipsam sententiam S. Alphonsi, et tantum abest ut S. Doctorem carpat de absurditate, ut contra eum pro sua claritate laudet. Immo ne ipsos quidem Mazotta et Roncaglia absurdam tenere sententiam dicit, sed tantum monet eos suam sententiam, quæ recta est, exprimere modo haud exacto, ita ut, si ad literam sumatur, sonet aliquid absurdi.

Audiantur nunc *Vindiciæ*. Contra P. Ballerinium hanc thesim adstruunt et per *sex columnas* sui libri evolvunt : « *S. Alphonsus circa quantitatem eleemosynæ nullatenus absurdam regulam proponit* : » (pag. 161.) Deinde in decursu demonstrationis in has exclamationes prorumpunt : « *Ergo plane absurdum quid « sonat regula a S. Alphonso relata! Sed videamus an « revera hæc injuriosa absurditatis nota S. Doctori « objici possit!* » Judicet lector.

2° Videamus utrum alicujus saltem sit ponderis *secunda* probatio adducta a *Vindiciis* pag. LIX ut eamdem illam thesim evincant. Quæstio a S. Alphonso proposita hæc est : « *An liceat famulo deferre munera « meretrici, ratione famulatus? Verius Concina putat, « hoc esse intrinsece malum, quia revera munera per « se turpem amorem fovent.* » Huic sententiæ S. Doctoris non assentit P. Gury, et oppositam opinionem probabiliorem dicit cum Viva et aliis.

2° culpatur quod sententiam quamdam S. Alphonsi dixit *non esse communem,*

In notis vero P. Ballerinius hæc tantummodo subjicit : « Sporer contra excusat hos famulos (de V præcepto Cap. I. n. 99), quia (inquit) ex una parte illi ex officio et conditione sua tenentur dominis servire et obsequi ; ex altera vero parte cooperatio ad peccatum mere materialis est et tantum remota. Neque verum id est quod Auctor (P. Gury) innuit, oppositam sententiam communiter doceri. Nam S. Alphonsus pro ea neminem allegat præter Concinam, cujus ratio ab omnibus rejicitur. »

Habes, lector, notam *integram* P. Ballerinii. Quid in ea reperis quod S. Doctoris reverentiæ infensum sit? P. Ballerinius unum de S. Alphonso asserit : scilicet, ipsum pro sua sententia non allegare nisi *P. Concinam*. Nonne forsan debuisset *contra veritatem* testari S. Alphonsum alios theologos allegare, dum unum tantummodo allegat ? — Sed aliud, inquies, indirecte saltem de S. Alphonso dicit, scilicet, sententiam, quam S. Doctor amplectitur, *non esse communem*. Fatemur Ballerinium *indirecte* (id est loquendo de P. Gury) asserere sententiam S. Alphonsi esse

quam ipsi Vindices fatentur *communi doctorum sententiæ adversari ;*

communi oppositam : sed quid in hac *indirecta* affirmatione accusabis, si ipsæ *Vindiciæ directe* enuntiant hanc sententiam B. Alphonsi communi Doctorum sententiæ adversari? Accipe *Vindiciarum* verba p. 174 2ª columna : « Cæterum non negamus doctrinam S. Alphonsi, munuscula deferre actionem intrinsece malam et ideo nunquam licitam esse, *communi doctorum sententiæ adversari.* »

Et tamen hanc P. Ballerinii notam *Vindiciæ* secundo loco afferunt pag. LIX ut probent thesim : « Testante cl. Professore , S. Alphonsus nonnullas tradit opiniones singulares, imprudentes, absurdas, rationi non consonas !!! »

Per transennam advertas etiam, humanissime lector, nos habere in hoc loco *Vindicias* confitentes opinionem aliquam S. Alphonsi communi DD. sententiæ adversari ; dum eædem *Vindiciæ* crimini vertunt P. Ballerinio, quod ausus sit directe vel indirecte asserere et probare nonnullas S. Doctoris opiniones non esse communes ! Cf. *Vindicias* pag. LII.

3° reprehenditur quod dixit quamdam sententiam Patris Gury esse singularem,

3° *Tertium* adeamus *Vindiciarum* argumentum ad eamdem thesim probandam. Vide *Vindic.* pag. LIX, 3.

P. Gury (pag. 250, n° 354, 2) hanc conclusionem ex principiis præpositis eruit : « Licet vendere ornamenta honesta puellæ, quibus forte sit abusura, præsertim si ab aliis æque emeret ; secus tamen, si ipsi venditori constaret de abusu futuro, *nisi alioqui notabile damnum pateretur.* »

Huic *sententiæ Patris Gury* P. Ballerinius hanc adnotationem adjicit : « Doctrina hisce verbis con-

cepta prorsus singularis est, neque præsidium habet ex iis quæ S. Alphonsus disputat lib. II, nº 47; neque verum est, ipsam tradi a Palao aut Suarez, qui pro ea solent allegari. Communis doctrina sic a Croix exponitur (l. 2, nº 263): « Non peccat, qui vendit ornamenta « puellæ, per illa sollicitaturæ alios ad peccatum, quæ « ornamenta venderentur ab alio. Ita Sanchez, Navar. « Azor. Bon. Diana; » sequitur ratio ab ipso Croix adducta, quin P. Ballerinius verbulum addat.

Igitur P. Ballerinius in sua nota hæc affirmat: 1º doctrinam Patris Gury, ut est ab ipso concepta per verba superius relata, esse prorsus *singularem*, et 2º nullum præsidium habere ex iis quæ S. Alphonsus disputat l. II, nº 47, ad quem locum P. Gury remittit. Minime vero dicit sententiam S. Alphonsi esse *prorsus singularem*, sed immo contendit P. Gury non posse propriam confirmare sententiam ex loco S. Alphonsi quem citat. quasi id dixisset de S. Alphonsi sententia,

Quo igitur modo afferri potest hæc adnotatio ut probetur Cl. Professorem exprobrare S. Alphonso quod *opiniones singulares* tradat?

Sed forsan putabis hanc accusationem *implicite* contineri in adnotatione P. Ballerinii eo, quod sententia Guriana esset ipsa S. Alphonsi sententia? Ex *Vindiciis*, non aliunde, edisce differentiam, quæ sententiam utramque discernit: « Prænotandum, aiunt *Vindiciæ* (pag. 183 2ª col.), quod P. Gury notabile *damnum*, S. Alphonsus vero notabile *incommodum* requirit. » Itaque juxta ipsos *Vindiciarum* auctores, sententia quam P. Ballerinius dicit singularem, differt a sententia quamvis nihil hujusmodi fecerit.

S. Alphonsi, sicut *damnum* notabile differt ab *incommodo* notabili. — Quo jure ergo *Vindiciæ* transferunt ad sententiam S. Alphonsi, quod P. Ballerinius adnotat ad sententiam, quæ differt ab opinione S. Alphonsi?

Increpatur et Ballerinius quia verissime dixit S. Alphonsum falsis allegationibus Salmanticensium et La Croix fuisse deceptum;

Sed hac occasione velim, benignissime lector, aliud etiam intra parenthesim advertas. Ab initio *Vindiciarum* ad finem usque, cl. auctores increpant Ballerinium quod contenderit S. Alphonsum, qui singulis fere paginis appellat ad citationes Doctorum Salmanticensium et aliorum (*apud Salmanticenses, etc*...), non nunquam (1) fallacibus horum theologorum allegationibus abductum fuisse a vera doctorum citatorum opinione proponenda, — quamvis Ballerinius non in S. Alphonsum, sed in ipsos Salmanticenses aut alios theologos culpam fere rejiciat. — Specimen in hac quæstione accipe rationis agendi prorsus similis *Vindiciarum* erga

(1) Operæ pretium fuerit quærere quot locis dixerit Ballerinius S. Alphonsum in hoc peccatum lapsum aut inductum fuisse. Ubi ipsi Vindices Ballerinii accusationem constituunt criminumque tabulas contexunt, nonnisi quindecim aut sedecim referunt loca, licet, ut ipsimet profitentur (Pag. LIV) « in quatuor fere millibus quæstionibus, quas complectitur sola Theologia Moralis, et in quibus solvendis S. Alphonsus 800 circiter auctorum sententias allegat et perpendit, hujusmodi citata sunt saltem numero 34,000. » Quod falsarum citationum peccatum, ut jam in *Prolusione* monuimus, ipsimet Vindices concedunt a S. Doctore interdum admissum fuisse. Audiatur et P. Heilig [*] : « Sunt imo in hac majoris molis theologia loca quædam obscura et interpretatu difficilia, quæ tum ex laudato opere *Homo Apostolicus*, tum ex prioribus editionibus, præsertim Romanis et Venetis, explanare allaboravimus.... Dicere haud dubitamus, in editionibus prioribus vel optimis mancum tradi *sæpenumero* textum, quem jam nunc integrum afferimus. »

[*] *Theologia Moralis S. Alphonsi de Ligorio*, tom. I, pag. XI, edit. Mechlinien. anni 1844.

S. Alphonsum. Pag. 180, *Vindiciæ* hunc textum S. Alphonsi (lib. II, n° 71) referunt : « Eodem modo licitum « esset vendere ornatus puellæ abusuræ, si ab aliis « æque emeret, ait Croix, cum *Navarro*, *Azorio* « *Sanchez*, *Bonacina*, *Diana*; cum, negando tunc vendi- « tionem, neque impediretur peccatum.—Sed hoc non « admittendum (juxta dicta n° 47 vers. *secunda*) nisi « venditor alioquin notabile patiatur incommodum. »

Testante igitur S. Alphonso, *Navarrus*, *Azorius*, *Sanchez*, *Bonacina*, *Diana* docent sententiam, quam S. Doctor *non admittit*. Jam vero *Vindiciæ*, pag. 181 et 182, per tres integras columnas, omni ope nituntur, ut probent *Sanchez*, *Bonacinam*, *Dianam*, *Navarrum* tenere ipsam sententiam S. Alphonsi. Ergo, si credimus *Vindiciis*, S. Alphonsus falso allegavit hos theologos ut docentes opinionem suæ sententiæ contrariam : tenent enim, juxta Vindices, opinionem ipsius S. Alphonsi !

quo loco Vindices allegant auctores tamquam S. Alphonso consentientes, quos tamen S. Doctor impugnat tamquam sibi adversarios.

4° Sed *quartam* probationem, a *Vindiciis* adductam p. LIX, inspiciamus.

Quæstio a P. Gury proposita hæc est : « Quandonam urgeat præceptum caritatis in Deum ? Valde discrepant responsa Doctorum. P. Croix, ad quem appellat S. Alphonsus (lib. II. n. 8), non minus quam *undecim* opiniones numerat, quarum severiores *omni die festivo*, benigniores, ut Suarezii et Castropalai, *sæpius quam singulis trienniis semel*, alii, media incedentes via, vel *semel in anno*, vel *semel in mense*, actum caritatis eliciendum esse affirmant.

4° Male habetur quia impugnavit Cardenam et La Croix, quasi S. Alphonsum, quem intactum relinquit, impugnasset.

In tantà sententiarum varietate munus theologi est rationes ponderare quibus singulæ nituntur. Hoc suo jure usus est P. Ballerinius in adnotatione ad n. 218 P. Gury, in qua explodit modum argumentandi *P. Croix*, qui *allegatur* pro opinione obligante sub gravi ad actum caritatis semel in mense; et nullius esse roboris ostendit rationem quam *Cardenas* eruit ex dignitate præcepti Charitatis ad eamdem opinionem statuendam.

Quid vero de S. Alphonso? Ne verbum quidem dicit P. Ballerinius, sed tantum indicat locum in quo S. Doctor citat opinionem Cardenæ, cui adhæret Croix : « (Vide S. Alph. lib. II. n. 8.) »

primum et singulariter, monuisset in hac ipsa editione affutura, quæ ordo logicus et claritas postularent et quæ doctissimi discipuli, optime merentes, restituerint, existimavit id ab infido aliquo viro fuisse factum. Ergo a typographo Remondinio, inquiunt Vindices. Hoc non affirmat Ballerinius, sed a quocumque alio. Quæ suspicio nequaquam absurda est. Remondinius scilicet Venetiis habitabat, ubi et habebat tabernam suam librariam, sed Bassani exsistebat typographeum ejus, alienæ curæ (ut fit) commissum. Porro incredibili audacia abundabant tum Jansenistæ illis in partibus, ut reliquam Italiam taceam; atque alia ejusdem generis flagitia patrabant. Nullum luculentius exemplum quam in *Thesauro theologico* Francisci Antonii Zaccariæ, Venetiis item venum exposito apud Pezzanam: quem in Thesaurum intrusi sunt libri plurimi pravi, plerique jansenistici, atque ipse *Tractatus* Arnaldi *de frequenti communione;* ita ut coactus fuerit collector in suo *Antifebronio* scribere: « Meminerit lector exstitisse aliquem, qui, inconsulto atque adeo inscio auctore, licere sibi credidit nonnulla addere opuscula, ab auctoris consilio aliena, aut inutilia, aut minus probanda, aliqua etiam omnino rejicienda. » Hæc scilicet sibi licere credebant illarum partium jansenistæ. Non itaque instar fabulæ habenda est fraudulenta textuum mutilatio. *Edit.*

(1) Cit. Dissert. n. 70.

(2) Dissert. de usu moderato opinion. probabil. n. 2.

(3) In edit. Ratisb., et stereotyp. Belg. et Taurin. n. 56.

iisdem prope verbis legere est in editione anni 1773 (1) : *Tunc enim opinio tutior non est jam dubia....., sed est moraliter aut quasi moraliter certa.* Et huc sane faciunt etiam ea, quæ in opere *Homine Apostolico* ita scribit (2) : *Ut dicatur vere probabilior, requiritur, ut ajunt Gonzalez et Patuzzi cum aliis antiprobabilistis, ut opinio sit manifeste verisimilior operanti cum excessu notorio, etc.* Atqui neminem latet, Gonzalez ad hoc postulare ut ejusmodi judicium et *firmum* et *non fluctuans* et *absque prudenti formidine de opposito* esse debeat (3); et, ut ex antiprobabilistis, a S. Alfonso generatim allegatis, vel unum memoremus, Antoine (4) judicium exigit *moraliter certum*, adeo ut *excludat dubitationem et formidinem rationabilem errandi.*

et ejus contraria tenuiter aut saltem dubie probabilis.

At vero quando opinio, quæ pro lege militat, tanta rationum firmitate pollet, ut pro moraliter certa queat haberi, omnemque oppositi prudentem formidinem excludat, manifestissimum est, adversam opinionem, quæ pro libertate facit, nulla solida probabilitate posse fulciri. Quod quidem ipsissimum consectarium beatus quoque Alfonsus ex præmissa illa probabilioris opinionis notione sic deducit disertis verbis (5) : *Unde fit, quod opinio minus tuta remanet tenuiter aut saltem dubie probabilis.* Quod iterum docet in illa postremæ editionis paragrapho, a Bassanensibus detruncata (6) : *Unde fit* (inquit), *quod opinio minus tuta, quæ certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis.* Id ipsum cernere est in Opere, cui titulus *Homo*

(1) Dissert. de usu moderato opin. probab. n. 2.

(2) Tract. de Consc. n. 29. Edit. Taurin. an. 1829.

(3) Thyrsus Gonzalez, ut ex ipso opusculi sui titulo patet, probandum sibi assumit, *ut quis licite possit sequi opinionem probabilem faventem libertati adversus legem, omnino necessarium esse et sufficere, quod... opinio illa ipsi appareat... vel unice verisimilis, vel verisimilior quam opposita..., ac idcirco ab ipso judicetur vera judicio absoluto, firmo, et non fluctuante.*

(4) De Consc. Cap. 4. q. 4. Resp. 2.

(5) Dissert. de moderato usu opinion. probab. n. 2. Edit. an. 1773.

(6) System. moral. n. 56. Edit. Ratisbon. ac. stereotyp. Belg. et Taurin.

Apostolicus (1) : *Quando* (ait) *opinio pro lege est CERTE probabilior, tunc lex non est amplius dubia...., sed est moraliter certa; ubi e contrario opinio minus probabilis, quæ favet libertati, tale habet fundamentum,.... ut remaneat tenuiter vel saltem dubie probabilis* (2).

(1) Tract. I. Cap. 3. n. 31.

(2) Universam hanc doctrinam seu declarationem doctrinæ S. Alphonsi paradigmate effinxit, non Ballerinius aut aliquis ex ejus discipulis, sed P. Michaël Heilig, quem Redemptoristam, editione sua Mechliniensi *Theologiæ Moralis* S. Alphonsi celebrem, toties jam laudavi et quo forte nemo in doctrina sancti viri versatus fuit magis. Hoc enim paradigmate, ex operibus ejus collecto, nihil utilius ad distinguendos diversos probabilitatis gradus, quos sanctissimus Doctor in libros suos, potissime apologeticos, continuo inducit, et quos si quis recte noverit, inoffenso pede percurret quæ in *Vindiciis* de morali systemate S. Alphonsi adversus Ballerinium leguntur. Illi paradigmati titulum imposuit Heilig : *Relationes oppositionis variarum sententiarum probabilium juxta mentem auctoris*, scilicet S. Alphonsi. Eccum :

Probabili contradictorie opponitur	probabilis,	valde probabilis.
Probabiliori (sc. parum) "	minus probabilis,	probabilis.
Probabiliori (sc. notabiliter (seu certe) "		tenuiter aut dubie probabilis.
Probabilissimæ Certæ Veræ seu veriori	improbabilis, non probabilis.	

Porro hæc omnino eadem docet Ballerinius in sua *Dissertatione*, adeo ut quasi hoc paradigma explicare videatur. Ne autem quis putet multam novitatem in hac verborum forma esse; id unum scilicet introduxit S. Alphonsus, ut ipsam opinionem probabiliorem in *parum* (*paulo* dixisset latinius) et in *notabiliter* seu *certe* probabiliorem dividerit. Quæ distinctio sermonis Alphonsiani quasi clavis est. « Attendat itaque lector, monet Heilig, ne umquam hanc summi momenti distinctionem prætermittat, nec miretur quod v. g. auctor [S. Alphonsus], quin sibi contradixisse censendus sit, in *Hom. Apost.* sæpe aliquam opinionem *probabiliorem* nominet, quæ in hac magna Morali ipsi tantum probabilis est, cum opiniones *parum probabiliores* essentialiter non diversæ sint a *mere probabilibus.* » Porro juxta S. Alphonsum licet operari secundum opiniones, faventes libertati, certas, veras seu veriores, probabilissimas, probabiliores, æque probabiles et paulo minus probabiles, non autem secundum opiniones oppositas certis, veris seu verioribus, probabilissimis, notabiliter seu certe probabilioribus, quæ stent pro lege. Sed, ut ipse sæpius luculente explicuit, quæ sententiæ contrariæ sunt opinionibus *certe* seu *notabiliter* probabilioribus, sunt *tenuiter* aut *dubie* proba-

quæ doctrina minime est contraria simplici probabilismo,

Quæ cum ita sint, quis enimvero contendat, S. Alfonsum, dum hæc statueret, explodere voluisse sententiam, quam catholicæ scholæ docebant, quamque ipse operosius propugnaverat? Hæc nimirum pro certo habet, opinionem libertati faventem, utut minus probabilem, solido tamen fundamento sic inniti, ut etiam præ probabiliore opposita vere et solide probabilis permaneat. Neque alio sensu illam ipse S. Alfonsus, ut vidimus, proposuerat, inquiens : *Benigniorem et communissimam sententiam probandam aggredimur, nempe licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum.* Contra vero sententia, quam postea refellit, adstruit, opinionem libertati faventem omni solida probabilitate destitui. Manifestum est igitur, doctrinam benignam, quam S. Alfonsus ceu communissimam prius defenderat, toto cælo ab ea

biles, quas nullus probabilista solidæ doctrinæ normam actionum esse statuit, requirens probabilitatem *veram solidamque, nixam ratione* et *munitam auctoritate.* Æquiprobabilismus itaque S. Alphonsi excludit quod vulgaris probabilismus aliorum, scilicet opiniones *tenuiter* aut *dubie* probabiles, id est adversas opinionibus *certe* et *notabiliter probabilioribus.* Quapropter nonnisi nomine æquiprobabilismus ille a probabilismo communi differt. Similiter P. Michaël Haringer, egregius inter Redemptoristas theologiæ moralis magister, qui anno 1846 editionem Ratisbonnensen *Theologiæ Moralis* S. Alphonsi curavit, diligenter inquisivit in genuinum S. Alphonsi systema morale, quod his verbis, quæ in *Vindiciis* (*a*) etiam recitantur, exposuit : « Ut lector varias assertiones S. Alphonsi circa usum opinionum probabilium quasi in nuce aspicere possit, ipsas ex variis locis hujus Operis.... collectas, hic pro majore utilitate subjecimus.... I. *Quando non licet uti probabilismo....* 8. Non licet sequi opinionem minus probabilem, relicta MULTO probabiliore. II. *Quando licet uti opinione probabili.* Responsum patet ex dictis ; sed expresse ait S. Alphonsus, quod licet usus probabilismi : 1° quando opinio est probabilissima vel multo probabilior....; 2° quando opiniones quæ stant pro lege et pro libertate, sunt *æque probabiles ;* et hic notandum, quod parum (plus vel minus) pro nihilo reputatur. » Sed, ut sæpe monuit ipse S. Alphonsus, opiniones illæ *æque probabiles* aut *plus minus æque probabiles* intra suum ambitum concludunt eas omnes quæ non sint *certo* adeoque *notabiliter minus probabiles,* et proinde *tenuiter* dumtaxat aut *dubie probabiles,* aut quarum contrariæ, ut loquitur Haringer, sunt MULTO probabiliores. *Edit.*

(*a*) Pag. 92.

differre, quam impugnandam posterius assumpsit. Ergo per hallucinationem dumtaxat, eamque gravissimam, S. Alfonso affingitur, vel quod communem probabilistarum, uti ajunt, sententiam postea damnaverit, vel quod a pristina sua sententia ipse aliquando recesserit.

Inde autem hæc hallucinatio videtur profecta, quod nonnulli minus caute ad quamlibet majorem probabilitatem ea transtulerint, quæ statuerat S. Alfonsus de majori quodam dumtaxat et insigniori probabilitatis excessu, nempe qui oppositæ opinioni probabilitatem demat. Atqui a mente S. Alfonsi id prorsus alienum est, quippe qui nunquam senserit aut docuerit, generatim solidam cujuspiam opinionis probabilitatem, licet minorem, ex majori oppositæ interire. *Falsum est*, inquit S. Alfonsus (1), *majorem probabilitatem elidere minorem, nisi quando minor illa probabilitas ex eodem principio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis vel non amplius certo et graviter probabilis remaneat. Secus tamen dicendum, si excessus non est notabilis, et probabilitas opposita ex diversis principiis, ut fere semper accidit in opinionum concursu, vim accipiat; tunc enim opinio minus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur.* Idque confirmat definitio *probabilioris* opinionis, quam et in ipsa postrema editione tradit (2): *Probabilior est*, inquit, *quæ graviori nititur fundamento, sed etiam cum prudenti formidine oppositi, ita ut contraria etiam probabilis censeatur.* Quod autem in istiusmodi definitione S. Alfonsus asseruit, centies facto ipso per totum opus confirmat. Nihil enim tibi frequentius occurret, quam ut, asserta majore alicujus opinionis probabilitate, alterius quoque aut etiam duarum aliarum opinionum probabilitatem astruat aut defendat. Quum igitur S. Alfonsus generatim solidam

antea a S. Doctore propugnato.

(1) Dissert. scholastico-moralis pro usu moder. opinionis probabilis in concursu probabilioris, n. 13. Edit. an. 1755.

(2) Tract. De Consc. n. 40.

probabilitatem non neget opinioni, cui opponatur probabilior, palam est, thesim, quæ objicitur, de solo illo probabilitatis excessu intelligendam esse, qui opinionem seu potius sententiam moraliter certam efficit.

Postea quæstionem de simplice probabilismo,

Illud unum inquirendum hic superesset, cur ergo S. Alfonsus, qui causam opinionis minus probabilis in concursu probabilioris, pro lege stantis, tam studiose et luculente in prioribus suis elucubrationibus propugnaverat, in postremis tamen disputationem suam quæstionis hujus inter duas opiniones fere æque probabiles limitibus circumscripserit.

utpote sat agitatam, prætermisit tractare,

De quo cum multa dici possint, temporis tamen angustiæ me cogunt, ut brevissimo responso utar, quod S. Alfonsus suis ipse verbis suppeditat in posterioribus ann. 1757 et 1763 editionibus, quodque in rem præsentem facit maxime; videlicet perstare se quidem in pristina sententia de concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori pro lege : malle se tamen tunc ejusmodi controversia abstinere, lectoremque eam noscendi cupidum ad doctores remittere. Sic ille (1) : *Probabilistæ putarunt, licitum esse usum opinionis solide probabilis in concursu æque probabilis ac etiam probabilioris. . . . . De hac autem ultima sententia, quod liceat sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, jam diximus, quod cum hæc quæstio undique ab auctoribus agitetur, apud ipsos observari potest* (2).

approbans tamen usum opinionis probabilis in concursu probabilioris :

Se nihilominus ab illorum sententia non recedere, qui hoc quoque licitum affirmabunt, sic in Præfatione totius operis ad lecto-

(1) *De usu moderato opinionis probabilis*, n. I. Edit. ann. 1757, et 1763.

(2) In utraque editione ann. 1757 et 1763, n. 3, de his doctoribus sic loquitur : *Admittunt usum opinionis probabilis in concursu probabilioris, et asserunt hanc benignam sententiam esse communem, ut dicunt Suarez, Castropalaus, Medina, Sporer, Pelbartus, Bonacina, Montesinus cum Card. Sfondrato, Card. de Lugo, Card. Toletus et Abelly, qui citat pro hac sententia Isambertum, Du Vallium, Gammachæum (doctores Sorbonicos), cum Christiano Lupo, qui defendit, hanc sententiam tenuisse etiam majores nostros, cum summis pontificibus, et ecclesiam catholicam semper eam permisisse.*

rem diserte fatetur (1) : *Non autem hic mens mihi est loquendi, de quæstione illa, an liceat sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris : quæ quidem quæstio per duo fere sæcula et præcipue nostra ætate labores tot sapientum exhausit ; quorum ii, qui acriore calamo scripserunt* (manifeste hæc ad eos spectant, qui S. Alfonsum hac eadem de causa acerbius exagitaverant), *minus, meo judicio, veritatis detegendæ finem, quem intendebant, sunt assecuti..... Prascindo igitur ab hac quæstione; sed tantum dico* (et hæc probe notentur), *me ignorare, quomodo possint rejici, ut improbabiles, opiniones illæ, quæ aliquo gravi non carent fundamento verisimilitudinis vel auctoritatis, et contra oppositis sententiis nulla assistit infallibilis auctoritas aut evidens ratio, quæ de veritate convincere possit :* quasi nempe diceret, suo quidem judicio, semper teneri et deduci in praxim posse opinionem gravi fundamento innixam, ubi pro opposita nulla adest ratio, quæ moralem certitudinem inducat (2).

Beatus Alfonsus igitur in postremis editionibus omittit quidem quæstionem de concursu opinionis minus probabilis cum probabiliori ; at omittit præscindendo, ut ait, non autem recedendo ab iis, quæ docuerat ; quin et adversariorum acerbis diatribis nihil se commotum, et pristinæ sententiæ dimittendæ nullam hactenus sibi allatam idoneam rationem diserte profitetur. Nullum igitur immutatæ sententiæ ex ea omissione prodit argumentum.

idque fecit ut adversariorum tricas vitaret.

Cæterum haud ægre intelligitur, cur eam controversiæ partem prætermittendam, lectoresque amandandos ad auctores, qui

(1) In edit. ann. 1757.

(2) Ex universa illa disputatione facile intelligitur quid Ballerinius sentiat de probabilismo, quem cæterum alibi cum Gurio his finibus constrinxit, nempe « licere sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore æque probabili, vel etiam vere probabiliore ; » quam definitionem Vindices (pag. 32) ita contorquent ut illa significari dicant « licere sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiore, etiam CERTE et NOTABILITER probabiliore ; » et hæc quidem sensu Alphonsiano Hac stupida et secum pugnante interpretatione supposita, laxismi et liberalismi Ballerinius insimulatus est ! *Edit.*

eam pertractent, S. Alfonsus censuerit. Quis enim innumeras tricas ignorat, quibus facilem pandit aditum ea quæstio, præsertim si in litigiosos forte, ac multo magis si in adversarios incidas, æquitatis temperantiæque expertes? Quis nesciat, quot etiam calumniis ansam eadem disputatio præbuerit? Neque sane alia de causa, quam ut ejusmodi calumniis iret obviam, inauditam illam thesim S. Alfonsus protulit, *non licere usum opinionis minus probabilis, ubi pro lege stet opposita certe ac longe probabilior :* quam quidem controversiam, quemadmodum eam explicari ab ipso jam vidimus, de tam insigni videlicet probabilitatis excessu, qui partem alteram moraliter certam efficiat, alteri solidam omnem probabilitatem adimat, nisi temporum adjuncta, in quæ beatus vir incidit, perspecta nobis essent, mirari satis numquam possemus. Quorsum enim ejusmodi thesis proponebatur? « Nemo profecto sanæ mentis, ut cum Dominico Viva loquar (1), docuit aut docere potuit, homines prudenter ac licite operari, si opinione nullatenus probabili nitantur, » cujusmodi nihilominus adversarios, uti diximus, hæc S. Alfonsi thesis impugnat. Verum sin minus expugnandi hostes, qui nuspiam exstabant, at certe S. Alfonso declinanda invidia fuit (2), et os illis, si fieri posset, obstruendum, qui communi sententiæ, objecto illo laxitatis monstro ceu legitimo ejusdem consectario, calumniabantur non secus ac superiori sæculo eadem calumnia ipsi doctrinæ

(1) Ad Prop. III. Innoc. XI. n. 7.

(2) Minus placet hoc dictum Vindicibus (pag. 112); verumtamen manifestum est sanctum virum ad declinandam invidiam multa fecisse, dixisse et scripsisse. Sufficit meminisse quæ scripserit de Busembaum, quem initio pauculis notis illustratum ad alienam utilitatem ediderat; quæ opposuerit ad objectionem doctrinam suam esse jesuiticam; quomodo sæpius negaverit se non solum probabilistam esse, sed etiam æquiprobabilistam; et demum quas literas die 5 augusti anni 1772 ad rectorem Agrigentinum dederit, bis a Vindicibus (pag. 67 et 114) editas, sed a me (quamvis non nescio soli inesse maculas) reverentiæ causa suppressas. Credant mihi boni viri, nisi velint S. Alphonsi gloriam citra Montes plane obscurari, omittant hujusmodi documenta in publicum mittere aut eorum editionem renovare. *Edit.*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

impacta jam fuerat. Nihil ergo mirum videri debet, si ab hac controversiæ parte in posterioribus editionibus abstinendum prudenti consilio S. Alfonsus duxerit; eo vel magis, quod cum nervis omnibus contendebat, propugnabatque licitum esse usum opinionis probabilis cum æque probabili pro lege concurrentis, probe perspiceret, se satis superque omissam quoque partem tueri. Data enim alicujus opinionis minori quidem, vera tamen ac solida probabilitate, atque adeo data ratione vere gravi, qua negari possit aliquam legem existere, eo ipso jam valet conclusio, quod ejusmodi lex cum dubia sit, vi obligandi destituatur.

Et hæc quidem omnia unice ad solvendam quæstionem criticam de beati Alfonsi mente dicta velim. E quibus tamen duplex vobis, qui theologiæ morali operam navatis, emolumentum præsto est; alterum theoreticum, ut noveritis, morale systema, quod *æquiprobabilismi* seu *moderati probabilismi* dici solet, quatenus cum anonymo illo Gallo accipitur ceu repugnans benigniori sententiæ, aliis quibusvis, non vero beatissimo Alfonso quasi auctori tribuendum esse; illam autem benigniorem sententiam, a qua, uti ostendimus, nunquam recessit, neque cum alia laxa, quam postremis elucubrationibus impugnavit, neque cum *moderato* illo *probabilismo*, qui levem aliquem in alterutra opinione probabilitatis excessum patiatur, confundi ullatenus posse : alterum practicum, ut ab omni laxitatis suspicione, et quidem Sedis Apostolicæ judicio, et vos et eos omnes immunes putetis, qui cum genuinas alias S. Alfonsi doctrinas, tum etiam benignam communissimamque veterum sententiam de probabilis usu opinionis et retinere et in praxim deducere, nihil aliter sentientibus de existimatione detrahendo, voluerint.

Cæterum, ut orationi meæ satis jam prolixæ finem tandem imponam, ex hucusque disputatis alius quoque fructus colligi posse videtur ab iis potissimum, qui in re morali aliorum sese auctoritate regi malunt, quam rationum momentis ac vi : nulli nimirum in ea re diligentiæ parci oportere, ut genuinæ doctorum sententiæ exquirantur; ne, si secus contingat, error eo perni-

ciosior invalescat, quo ampliòr est dignitas nominis, quo temere obtenditur.

IMPRIMATUR
Fr. Hieronymus Gigli O. P.
S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR
Petrus Castellacci Archiep. Petr.
Vicesgerens.

DE S. ALPHONSI

PROBABILISMO ET ÆQUIPROBABILISMO.

Presbyter, qui sequentem scripsit dissertationem, in seminario Belgico theologiæ moralis magister est, doctrina (ut vel ex hac lucubratione apparebit) plane conspicuus, nequaquam Ballerinii discipulus, sed vir jam annis gravis, et sæpius coram auditoribus professus omnia lectoris Romani placita sibi non æque arridere. Sed, quum legit libellum famosum, cum siglis E. P. in acta diurna *l'Univers* receptum, tanta eum cepit indignatio ut ex adversario patronus factus sit. Quamobrem, ut intellexit aliquid parari in defensionem insimulati doctoris, communicavit illam suam dissertationem de probabilismo et æquiprobabilismo S. Alphonsi, existimans eam nonnihil valere posse ad vindicandam causam Ballerinii.

Scripta illa fuit post editionem *Summarii additionalis*, antequam *Vindiciæ* venissent in lucem : parum refert; ambobus enim libris idem propositum est consilium, eademque fere utrobique traduntur, neque inter rerum capita ulla differentia deprehenditur.

Quum lucubrationem hanc scripsit, non noverat auctor illius *Dissertationem* nisi ex *Summario addit.*, ita ut ambo non eodem omnino spectent. Ballerinius enim fere id unum demonstrare sibi proposuit æquiprobabilismum S. Alphonsi in opere ipso convenire cum communi laudatoque probabilismo, nihil quærens de utriusque intima discrepantia; alter vero hanc distinctionem sagacissime inquisivit et patefecit, deinde ostendens utriusque eadem esse consectaria : adeo ut hic ratione confirmaverit quod ille in actu constituerat.

Id addam : quum dissertator ille me convenit, ut admirator est S. Alphonsi, nescius laudibus satis magnificis pro sua voluntate extollere utilitatem, quam ex *Theologia* ejus *Morali* universa cepit ecclesia, nonnisi flebili voce loquebatur de imminuta per *Vindicias* S. Doctoris reverentia et auctoritate.

DE S. ALPHONSI

PROBABILISMO ET ÆQUIPROBABILISMO.

MONITUM PRÆVIUM

In *Summario additionali* refutatur *Dissertatio* P. Ballerinii *de systemate morali S. Alphonsi.* Secundum hujus *Summarii* auctores : Quæ opponantur Ballerinio.

1° S. Alphonsus numquam communi et simplici probabilismo adhæsit; sed jam in prioribus suis scriptis æquiprobabilismum saltem implicite professus est. (Communis autem et simplicis probabilismi nomine non nisi probabilismum laxum amplectuntur, quum intelligi debeat ut diversus ab æquiprobabilismo, seu ut probabilismus absque apposito, qui potest est laxus et non laxus, atque eo sensu usurpatur vox a S. Alphonso.)

2° Ab anno 1762 S. Alphonsus explicite æquiprobabilismum professus est, ejusque auctor merito dicitur. Qui æquiprobabilismus, secus ac contendit Ballerinius, non est communis probabilismus.

3° Ballerinius perperam tradidit S. Alphonsi textum aliquem fuisse fraudulente mutilatum; — opinionem certe probabiliorem æquivalere moraliter certæ; — S. Alphonsum priorem opinionem non deseruisse, sed solum abstinuisse ab ea defendenda.

Opera aliquot S. Alphonsi.

Hæc argumenta et materia non minimæ partis *Summarii additionalis*. Quibus pauca addere juverit de aliquot S. Alphonsi libris, qui omnium maxime huc pertinent.

Prima itaque editio *Theologiæ Moralis* S. Alphonsi prodiit a. 1748 sub hoc fere titulo : *R. P. Alphonsi de Ligorio adnotationes in Pusembaum*. Secundam dedit 1753 ; tertiam 1757; quartam 1760; quintam 1763 ; sextam Romæ 1767, etc. Edidit etiam non paucas dissertationes et apologias de eadem materia ; primam a. 1749 ; secundam 1755. Titulus harum est : *Dissertatio Scholastico-Moralis pro usu moderato opinionis probabilis in concursu probabilioris..;* eas autem scripsit contra probabilioristas (1).

In primis Theologiæ Moralis editionibus, primisque illis dissertationibus non agitur, saltem explicite, de æquiproba-

(1) Placuit Vindicibus (pag. 42) hæc negare et contendere S. Alphonsum scripsisse adversus tutioristas severiores aut mitiores seu probabilioristas, qui statuunt nemini licere sequi sententias benigniores, quæ non sint *notabiliter* probabiliores; sed sufficit legere illam ipsam Dissertationem ut manifestissime appareat se rem ita non habere. Etenim ipse S. Doctor, postquam vim verborum aliquot exposuit, in hæc verba præfatur : « De prima et secunda sententia hic non disseritur; nam prima, quæ dicitur TUTIORISTARUM RIGIDORUM, jam proscripta fuit ab Alexandro VII. De secunda vero, [quæ tenet tunc tantum licitum esse sequi opinionem minus tutam, quando opposita pro lege est tenuiter probabilis, ita ut leve fundamentum habeat,] neque seorsim agimus, tum quia ipsa est contra communem sensum tam recentiorum, quam veterum theologorum, ut infra patebit, tum quia ex confutatione tertiæ sententiæ, quæ tantum requirit quod opinio libertati favens sit probabilior, etiamsi opposita sit vere probabilis, a fortiori secunda confutata remanebit. Cæterum dum fautores hujus MITIORIS TUTIORISMI statuunt majus pondus probabilitatis pro lege elidere minus pro libertate, ita ut opinio tutior tunc evadat moraliter certa, cur peto, non idem dicendum, cum opinio pro libertate est probabilior ?

« Tantum igitur hic disserendum est de tertia et quarta sententia, quarum ultimam benigniorem et communissimam probandam aggredimur, nempe licitum esse uti opinione probabili etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum et grave habeat fundamentum. » *Edit.*

bilismo, nec de ejus systemate morali quod ipsi innititur; illud tamen 1762 jam tenebat et deinceps semper tenuit ac propugnavit. Quæri autem potest :

I. AN S. ALPHONSUS AB INITIO SIMPLICITER PROBABILISTA FUERIT ?

S. Alphonsus, ex probabilioristâ probabilista fatus, vindicat probabilismum communem,

Imprimis certum est eum deseruisse probabilioristas, quorum doctrina imbutus fuerat, ut ipse passim ubique fatetur. Cum autem tunc præter probabilioristas non essent nisi probabilistæ, diceres eum ex probabiliorista simpliciter evasisse probabilistam, amplectentem eorum doctrinam sicut tunc a probatis auctoribus probabilistis tradebatur. Et certe probabilistas ab initio vocat *nostros auctores*, eosque defendit contra ipsorum adversarios ; et, quod majus est, contra istos ponit suam thesim iisdem terminis, quibus a probabilistis tunc temporis poni solebat. Hæc colliguntur ex primis illis dissertationibus in thesim (1) : « Licitum est uti opinione probabili, etiam in concursu probabilioris pro lege, semper ac illa certum ac grave habeat fundamentum ; » (diceres propositionem Busembaum). Pro hujus autem probatione, en ipsa ejus verba (2) : » Si sententia benigna fuisset opposita traditioni apostolicæ et communi sensui doctorum, qui Medinam præcesserunt, quomodo mille contradictores non insurrexissent adversus eam et damnassent? Tanto magis quod fautores benignæ sententiæ scripserunt paulo post editum Tridentinum, quod ideo coactum fuit ut morum pravitatem, quæ per orbem christianum irrepserat, eliminaret : unde præsules et pontifices, si illam ut damnosam doctrinam habuissent, totis certe viribus pro ipsius eliminatione incubuissent. Anne putabimus Deum tunc temporis ecclesiam deseruisse, permittendo hoc errore tam pernicioso (ut ipsi clami-

(1) *Diss. II*, cap. I, num. 4, p. 86, édit. Monza.
(2) *Ibid.*, cap. I, num. 9, pag. 94.

tant) fideles undique decipi? » In loco autem ad quem remittit, citat centum et viginti auctores eam tenentes, et primo quidem loco Medinam (obiit 1581), qui dicit : « Si est opinio « probabilis, licitum est eam sequi, licet opposita probabi- « lior sit. » Et post plures alios citatos, addit Tirillum (1) qui asserit « pro contraria sententia vix esse unum auctorem pro decem qui sunt pro nostra. » Hæc manifesta sunt : adoptat, probat et contra probabilioristas defendit benignam sententiam (2), quæ alia non est quam probabilismus tum vigens : tunc igitur simpliciter probabilista erat.

statuens probabilitate multo majori elidi minorem aut haustam ex eodem principio.

Attamen non raro occurrunt loci, quibus universalem illam propositionem certos intra fines concludit. Sic in eadem illa dissertatione, ex qua prædicta desumpta sunt, respondens objectioni adversariorum, hæc habet (3) : « At recte respondent « auctores nostri falsum esse majorem probabilitatem elidere « minorem, nisi quando illa minor probabilitas ex eodem prin- « cipio hauriatur, vel nisi opinio probabilior habeat pro se « tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis « vel non amplius graviter vel certo probabilis videatur. Secus « tamen dicendum est, si excessus non sit notabilis, et proba- « bilitas opposita ex diversis principiis (ut fere semper accidit

(1) *Ibid.*, n. 5, pag. 89.

(2) En paucis quæ S. Alphonsus ad defensionem hujus sententiæ afferat: 1° Docet eam a Medinæ temporibus communiter a theologis fuisse traditam, quin et affirmat quod, « licet prius hæc doctrina ab antiquis numquam tradita fuerit in terminis quibus exposuit Medina..., attamen in substantia terminis æqualibus eam satis tradiderunt, et, ut testatur Christianus Lupus, in opere satis communiter usi sunt. » 2° Firmat eamdem auctoritate sacrorum canonum. 3° Demonstrat eamdem pluribus rationibus aut principiis juris naturalis, scilicet : « *a*) Lex dubia non obligat. *b*) Lex, ut obliget, debet esse sufficienter intimata. *c*) Si esset obligatio sequendi probabiliora, magna interveniret difformitas in observantia legis. *d*) Nisi licitus esset usus benignæ sententiæ, omnino turbaretur ordo obedientiæ superioribus debitæ. *e*) Quia obligatio sequendi probabiliora, si adessent, esset humanis viribus impar. *f*) Quia sententia benigna est probabilior, imo probabilissima. Dein refellit plures objectiones, suo systemate oppositas. *Edit.*

(3) *Ibid*, cap. II, n. 13, p. 101.

« in opinionum concursu) vim accipiat. Tunc enim opinio mi-
« nus probabilis gravi sua probabilitate minime destituitur. »

Dein in *Apologia*, in qua contra Patutium defendit suam Dissertationem (anno 1762), hæc leguntur (1). « So bene che « niun probabilista di dottrina soda dà per lecito l'uso della « tenuamente o dubbiamente probabile. Ma perchè molti pro- « babilisti indistintamente dicono, potersi seguire la meno « probabile, quando vi è qualche appoggio di ragione o di au- « torità : perciò ho voluto distinguere col dire, che non può « seguirsi l'opinione men tuta, quando è molta ed è certa la « predominanza per la più tuta. » In his, ut apparet, probabilismum nonnihil circumscribit. Sed priori loco, ipsomet teste, circumscriptio illa fit ab ipsis probabilistis (*recte*, ait, *respondent auctores nostri*); quam quum adoptat, utique ab illis non recedit; nec etiam insinuat æquiprobabilismum, cum omnino aliter ista restrictio in æquiprobabilismo enuncietur, ut infra magis patebit. Altero etiam loco ipse distinguit inter probabilistas qui habent doctrinam solidam, et eos qui talem non habent. Sic autem non solum non recedit a solido probabilismo, sed eum etiam hic probare videtur. Dixi *etiam hic;* nam, quum hæc scripsit (anno 1762) jam æquiprobabilismum sequebatur, ut ex universo etiam contextu liquet. Tandem habemus *Apologiam contra probabilioristas*, qui eum acriter de laxismo accusabant, quam latine redditam 1770 inseruit tertiæ editioni *Hom. Apost.* (1). In hac legimus sequentia : « Utrum « liceat cum opinione probabili operari, tres sunt sententiæ, « prima quarum est, ut possit quis licite sequi opinionem « etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro « lege sit certe probabilior. Hanc sententiam elapsi seculi « auctores quasi communiter tenuerunt; sed nos dicimus eam « esse laxam et licite amplecti non posse. » Hic evidenter agitur de probabilismo, nam in secunda sententia exponitur

Sibi contrarius non est, quum anno 1762 improbavit probabilismnm laxum,

(1) Etiam invenitur in Editione Lugdunensi 1832. Citatio, n. 31.

probabiliorismus et in tertia æquiprobabilismus; rejicitur tamen simpliciter quasi laxus, et perhibentur auctores seculi XVII quasi communiter eum tenuisse; superius tamen in primis dissertationibus probabilismum probaverat et aperte dixerat fieri non potuisse ut, si falsus esset, communiter a doctoribus reciperetur et præsertim ab ecclesia toleraretur. Unde peti potest an hic agatur de alio probabilismo ac de aliis doctoribus quam illis centum viginti ibi indicatis. Sed quidquid sit de hac difficultate, quæ vera est, certe hic non rejicitur nisi probabilismus laxus, qui juxta sanctum auctorem in eo consistit quod asserat licitum esse sequi opinionem minus probabilem, dum opposita pro lege *certe* probabilior est, sicut hic in prima sententia dicitur (1).

et transiit ad æquiprobabilismum.

Ex hucusque dictis colligi potest responsum ad quæstionem ab initio positam; est autem hoc : S. Alphonsus, deserens et reprobans probabiliorismum, transiit ad probabilistas, eorumque doctrinam amplexus est. Æquiprobabilismi indicia ab initio nulla apud eum occurrunt; sed semper distinxit inter probabilismum solidum et eum qui talis non est; et sic eum moderatum vocabat. Cum autem a probabilioristis numquam non impugnaretur et laxæ doctrinæ accusaretur, in eo totus fuit, ut determinaret quid sit solida probabilitas, et sic ad suum æquiprobabilismum paulatim conductus est; ad quem quum tandem pervenit, ei inhæsit.

(1) Ven. Vir Thomas Bouquillon, olim Ballerinii discipulus atque nunc professor theologiæ moralis in Seminario Brugensi, qui vel hoc solum nomine commendatur quod a Rmo D. Joanne Faict, orthodoxæ doctrinæ tenacissimo atque ipso olim eruditissimo theologiæ professore, tam gravi officio applicitus fuit, omnium primus publice defensionem arripuit Dissertationis Ballerinianæ, non quidem adversus *Vindicias*, nondum in lucem emissas, sed adversus *Summarium additionale*. Stabilivit itaque has tres propositiones : I Negari non posse S. Alphonsum primitus, scilicet usque ad annum 1762, veterem probabilismum ex professo proposuisse, illumque omni argumentorum genere tamquam moraliter certum defendisse; II Non magis negari posse eum postea in omnibus fere suis operibus protestatum esse se tenere

II. AN ET QUATENUS ÆQUIPROBABILISMUS DIFFERAT A SIMPLICI PROBABILISMO ?

Æquiprobabilismus docet licitum esse sequi opinionem faventem libertati modo hæc sit æque aut fere æque proba-

Probabilistæ statuunt de soliditate probabilitatis absolute, æquiprobabilistæ relative.

systema opinionis æque probabilis; quod systema duabus propositionibus solet exprimi : priori, non licere sequi opinionem minus probabilem, quum opinio quæ stat pro lege est notabiliter et certe probabilior; altera, cum opinio minus tuta est æque [aut fere æque] probabilis, posse unumquemque eam licite sequi : verumtamen a) sanctum virum non videri, novo suo loquendi modo, intendisse recedere, quantum ad substantiam, a communi et simplici probabilismo, b) sed hoc novo sermone intendisse recedere a communi forma, sub qua probabilismus proponebatur, eique aliam meliorem et accuratiorem substituere; III hanc interpretationem conformem esse explicitæ declarationi S. Doctoris in sua Apologia anni 1765. Quæ quum demonstravit Brugensis theologus, incidit in eamdem illam difficultatem, petitam ex *Homine Apostolico*, quam juxta responsum, Patutio datum [quare scilicet, non novum systema, sed novum dicendi modum induxisset (vide supra, pag. 141)], solvendam esse statuit. Quæ animadversio optima est. Formula enim ordinaria probabilismi : « Licere sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, » qua ipse S. Doctor in suis Dissertationibus (1) usus est aut qua usos alios laudavit, certe (nisi rite definiatur quæ sit opinio probabilis cujus ratio habenda sit) justo laxior est. Quare auctores boni aut illam ipsam propositionem circumscripserant (quemadmodum supra ipse S. Alphonsus), aut opinionem probabilem eam dumtaxat dixerant « quæ gravi auctoritate vel non levis momenti ratione nixa sit. » (Cfr. Busembaum, *Medulla*, de Conse., dub. II.) Recte itaque ipse S. Doctor respondit Patutio se « bene novisse nullum probabilistam solidæ doctrinæ ut licitum tradere usum opinionis tenuiter vel dubie probabilis. » Hi itaque theologi omnes in tuto sunt, neque eos improbari voluit beatus vir. Sed erant alii, et quidem multi, imprudentiores, qui ad veram probabilitatem non requirebant *gravem auctoritatem vel non levis momenti rationem*, sed quibus sufficiebat *aliquod* (leve, dubium, infirmum, grave, certum, firmum, verbo qualecumque,) *indiscriminatim fundamentum a ratione vel ab auctoritate.* Adeoque quoniam hi nullum discrimen faciebant, « idcirco, inquit ipse sanctus, volui distinguere, statuendo quod non liceat sequi opinionem minus tutam, quando notabilis et certus est excessus probabilitatis pro tutiore..., quia tunc opinio minus tuta non potest dici *certo probabilis*, » sed *tenuiter* tantum aut *saltem dubie* probabilis. Quos posteriores, testibus Vindicibus (pag. 12), probabilistas *laxiores* appellabat ille idem sanctus. Hi itaque dicebant « licere sequi

(1) Cfr. *Diss. I*, § 1, p. 7, 9 et 25 ; *Diss. II*, c. I, num. 4, 6, pag. 87 et 91.

bilis ac ejus opposita pro lege; sequendam autem esse probabiliorem faventem legi, si *certe* probabilior sit. Unde aliquid habet de probabilismo et aliquid de probabiliorismo.

opinionem minus probabilem, licet opinio pro lege sit *certe* probabilior,» et proinde licet opinio minus probabilis destituta sit « gravi auctoritate aut non levis momenti ratione,» adeoque « tenuiter tantum aut saltem dubie probabilis.» Contra auctores solidæ doctrinæ, quamvis eadem formula generali uterentur, non in idem incidebant peccatum, profecto non docentes « licere sequi opinionem minus probabilem, licet opinio pro lege sit CERTE probabilior, » maxime secundum vim quam vocabulo *certe* tribuit S. Alphonsus, scilicet ut excessus probabilitatis sit *notabilis*, quo elidatur seu tenuis aut dubia fiat contrariæ sententiæ probabilitas. Quamobrem, quum de affirmationibus historicis agatur, ægre inter se componi possunt hæc diversa sancti viri dicta :

Epistola ad Patutium.	Homo Apostolicus.
Bene novi *nullum probabilistam solidæ doctrinæ* ut licitum tradere usum opinionis tenuiter vel dubie probabilis. Sed multi probabilistæ indiscriminatim dicunt licere sequi opinionem minus probabilem, quando habet aliquod fundamentum a ratione vel ab auctoritate.	Prima [sententia] est, ut possit quis sequi opinionem minus probabilem, licet opinio pro lege sit CERTE probabilior, [adeoque] moraliter certa, quum habeat pro se fundamentum certum quod vera sit, ubi e contrario opinio minus probabilis, quæ favet libertati, tale habeat fundamentum ut vera non sit, ut remaneat tenuiter, sive saltem dubie probabilis pro opinione tutiore; ideoque non est prudentia, sed imprudentia eam velle sequi. Hanc sententiam *elapsi sæculi auctores quasi communiter tenuerunt;* sed nos dicimus eam esse laxam, et licite amplecti non posse.

Difficultas itaque in hoc consistit quod sanctus vir affirmaverit sæculo XVII, quum Suarius, Laymannus, Lugo, Bannius aliique theologorum principes florerent, *communiter ab auctoribus* commendatam fuisse sententiam, quam *nullus probabilista solidæ doctrinæ tradiderit.* Quæ ut inter se concilientur, *Homo Apostolicus* ita interpretandus videtur : « Prima sententia est, ut possit quis licite sequi opinionem minus probabilem, licet opinio pro lege sit probabilior. Hanc sententiam elapsi sæculi auctores quasi communiter tenebant; sed non conveniebant in ejus declaratione. Probabilistæ solidæ doctrinæ, requirentes probabilitatem solidam, gravi auctoritate aut non levis momenti ratione nixam, excludebant usum opinionis tenuiter vel dubie probabilis, adeoque omnis opinionis oppositæ opinioni certe et notabiliter probabilioris. Contra multi probabilistæ doctrinæ non solidæ seu laxiores dicebant indiscriminatim licere sequi opinionem minus probabilem, etiam contrariam opinioni certe et notabiliter probabiliori, quando habet aliquod (firmum

Differentia autem, quæ inter eum et probabilismum intercedit, respicit modum, quo probabilitas acquisita aut perdita habeatur seu statuatur.

Probabilistis probabilis est sententia gravi auctoritate vel non levis momenti ratione nixa (Busemb. Dub. II); quam definitionem probat S. Alphonsus in *Dissertatione Scholastico-Morali* anni 1755, superius citata. Ait enim : « Opinio « probabilis est illa, quæ nititur gravi ac solido fundamento, « verisimili, vel intrinseco rationis, vel extrinseco auctoritatis « quod valeat ad se trahere assensum viri prudentis, etsi cum « formidine oppositi (1). » At in æquiprobabilismo « opinio

aut infirmum) fundamentum a ratione vel ab auctoritate; sed nos dicimus eam esse laxam et licite amplecti non posse. » Et quidem, ut loquitur Ven. Vir Thomas Bouquillon, « omnino impossibile videtur S. Alphonsum his verbis attingere voluisse probabilismum illorum, quos ipse tamquam magistros et principes theologiæ moralis reveretur, Suarez nempe, De Lugo, Laymann, Bannez, Azor etc. Secus enim non potuisset scribere sententiam suam olim fuisse communem (Cfr. *Syst. mor.* n. 80.); et aliunde ei responderi potuisset quod ipse reponebat probabilioristis et tutioristis : « Si sententia illa esset *laxa*, minime quasi communiter a doctoribus undique fuisset recepta, ut vere recepta fuit, aut saltem ecclesia eam non tolerasset. » Cæterum vel solus loquendi modus quem adhibet S. Alphonsus (*Syst. mor.* n. 56.) ostendit aliam fuisse ejus mentem : « *Circa primam quæstionem* (nempe an licitum sit sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori,) *citius me expediam : resolutio enim est patens.* » Nam non solet vir prudentissimus et modestissimus tam cito et tam facile se expedire a quæstionibus magni momenti, præsertim quando contra se habet omnes fere doctissimos theologos. Quod vero attinet ad rationem a S. Alph. deinde allatam : « *Quoties enim intellectui certe apparet*, etc.,» advertimus, quod si hæc ratio nimis stricte intelligeretur, non cohæreret cum principio « *nullam esse obligationem nisi de ea certo moraliter constet;* » et insuper includeret aliquam confusionem ordinis practici cum ordine speculativo; ut enim bene Pallavicinus : « Vel agitur de electione practica, et hæc debet esse tutissima, quia debet esse evidenter licita; vel agitur de electione speculativa, et circa eam quærenda quidem est major securitas sententiæ, non major securitas actionis (In 1, 2. disp. 9, c. 4, a. 11, n. 12.)» *Edit.*

(1) Idem tradit in sua *Theologia Morali*, edit. Mechl, nº 40. En ejus verba : « Probabilis est, quæ gravi fundamento nititur, vel intrinseco « rationis vel extrinseco auctoritatis, quod valet ad se trahere assensum « viri prudentis, etsi cum formidine oppositi. » Cf. n. 53, ubi etiam loquitur ut probabilista.

« vere probabilis est illa sola, quæ nititur fundamentis in-
« trinsecis et extrinsecis æque vel fere æque gravibus, ac illa
« quæ oppositæ favent. » (Ita in *Apologia* anni 1765, dicata Clementi XIII). Hic, ut apparet, additur *æque* vel *fere æque*, reliqua sunt eadem; adeoque in hac additione consistit tota differentia. Probabilista de vera probabilitate judicat absolute per fundamenta intrinseca et extrinseca; æquiprobabilista judicat relative. Ille dicit probabile quod solidum habet fundamentum; hic autem probabile asserit quod æque solidum habeat ac ejus oppositum. Est igitur differentia in modo dijudicandi ac æstimandi absolute aut relative de soliditate probabilitatis.

Illis opinio probabilis amittit suam probabilitatem decreto contrario aut ratione gravissima, his præpollente auctoritate unius sententiæ adversus oppositam.

Et hinc alia differentia in modo, quo judicatur an opinio adhuc probabilis sit, an vero suam amiserit probabilitatem. « Si opinio, inquit Busemb. l. c., probabilitatem amiserit ob aliquod decretum in contrarium, vel gravem censuram, vel *rationem gravem quæ difficulter refutanda videatur*, » non licet eam sequi. Et S. Alphonsus in præcitata Dissertatione : « Minor probabilitas, inquit, non eliditur a majore, nisi opinio probabilior habeat pro se tam convincens argumentum, ut contraria vere improbabilis vel non amplius graviter vel certo probabilis videatur. » Perditur igitur per rationem contrariam tam gravem, tam convincentem ut non amplius appareat esse solidum fundamentum de ea re dubitandi : ac consequenter absolute. At æquiprobabilista, qui momentum et vim probabilitatis semper relative determinat, amissionem relativæ præstantiæ unius in aliam refundit. En verba S. Alphonsi ex Dissertatione, quam inseruit editioni Romanæ 1767 (concordat editio Mechl. n. 56) : « Cum opinio pro lege est certe et sine ulla hæsitatione probabilior, tum opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior. Et eo casu, opinio tutior non erit jam dubia (intelligendo de dubio stricte sumpto), sed est moraliter aut quasi moraliter certa; saltem nequit dici amplius stricte dubia, cum pro se habeat certum fundamentum, quod ipsa sit

vera. Unde tunc fit quod opinio minus tuta, quæ certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris; adeoque non est prudentia sed imprudentia velle eam amplecti... » Unde probabilitas minor relate ad certe seu notabiliter majorem non potest dici vera seu certa; et sic relative eliditur seu perditur per præpollentem auctoritatem unius adversus alteram.

S. Alphonsus prætulit æquiprobabilismum,

In æquiprobabilismo itaque omnia pendent ab æqualitate et inæqualitate probabilitatis et consequenter totus consistit in auctoritate relativa opinionum. Propter accessum æqualitatis ad fundamenta opinionum intrinseca, soliditas probabilitatis affirmatur ; propter recessum ejusdem æqualitatis notabilem, negatur. Cum autem illa æqualitas respiciat opinionum fundamenta, quibus simplex innititur probabilismus, ipse æquiprobabilismus huic additur, et per additionem hanc ab hoc distinguitur. Ex ipsis autem S. Alphonsi verbis patet eum ab initio probabilitatem definivisse ad instar probabilistarum, ejusque vim aut defectum repetivisse ab ipsis fundamentis ejus, sicut et ipsi faciunt. Unde ab initio hanc additionem non fecit; fecit tamen postea. Hinc jure peti potest, quare id fecerit, et quod momentum ista additio habeat.

ne cum probabilistis laxioribus confunderetur

Ad prius quæsitum habemus responsum ipsius sancti auctoris loco superius citato ex *Apologia Dissertationis* (1762). Ibi nullatenus reprehendit probabilistas, qui solidam doctrinam habent; negant enim licitum esse usum opinionis tenuiter aut dubie probabilis. « Sed cum multi probabilistæ, inquit, indistincte loquantur, et affirment licitum esse uti opinione minus probabili, dummodo aliquod habeat fundamentum rationis aut auctoritatis, » « perciò ho voluto distinguere col dire, che non può seguirsi l'opinione men tuta, quando è molta ed è certa la preponderanza per la più tuta. » Hæc clara sunt : distinxit nimirum addendo æqualitatem probabilitatis, ut sic discernat probabilitatem veram a falsa, certam a dubia, solidam a non solida. (Et quidem dicendo : *æque probabile*, dicis

solide probabile, et consequenter excludis *tenuiter* aut *dubie probabile*). Quæsivit itaque sanctus auctor formulam distinctam et claram pro usu opinionis probabilis, eamque se invenisse putavit ac posuit in æquiprobabilismo, in quo ipsa vox solidam probabilitatem denotat, et extrema laxismi ac rigorismi excludit, universam doctrinam duabus regulis continens: Non est licitum uti opinione certe minus probabili vel dubie probabili; et dein: Non teneris sequi sententiam probabiliorem, nisi ejus probabilitas notabiliter æqualitatem superet.

et ut certo modo posset indicare quæ opinio sit solide probabilis.

Ad alterum quæsitum responsum patet ex priori. Additio illa est formula, seu regula pro usu opinionis probabilis; non ergo probabilitatem facit, nec ei dat soliditatem, nec eam auget, sed exsistentem discernit, soliditatemque ostendit. Additio igitur illa nullum habet momentum substantiale seu intrinsecum; imo dici potest nec extrinsecum, cum non sit nisi regula prædicta. Unde concludere possumus dicendo: Æquiprobabilismus additur probabilismo ad discernendam veram solidamque probabilitatem, non ad faciendam. Hinc S. Alphonsus, stabiliens suum æquiprobabilismum post probabilismum, eumque adoptans et sequens, nihil debuit mutare; et revera non cernitur eum aliquid mutasse. Sed jam sit quæstio finalis:

III. AN ÆQUIPROBABILISMUS EXCLUDAT PROBABILISMUM EJUSQUE USUM?

Probabilismum ejusque usum numquam exclusit,

S. Alphonsus ab initio neutrum profecto excludebat. In thesi priorum dissertationum aperte dicit: « Licitum est uti opinione probabili semper ac illa certum et grave habeat fundamentum. » Nec huic assertioni postea contradixit: addidit quidem, jam æquiprobabilista, æqualitatem probabilitatis; sed hoc non pertinet ad rei substantiam, verum ad methodum seu regulam quæ in æstimatione solidi fundamenti sequenda sit. Hoc itaque non est contrarium thesi, qua statuitur licitum esse sequi opinionem vere et solide probabilem.

Dein probabilistæ in hac re illa omnia servant, quantum attinet ad substantiam, quæ æquiprobabilismus servanda docet. Quæstionem rectissime proposuit Busembaum, Dub. II: « Quæritur ergo, inquit, an et quomodo ex opinionibus dubiis et « in utramque partem probabilibus, quæ reddunt hominem « speculative dubium, possit formari conscientia practice « certa. » Ut autem hanc solvat, servat hæc tria:

in quo servantur eædem leges quæ in æquiprobabilismo.

1° Supponit esse verum quod est in quæstione, nimirum: rem esse speculative dubiam seu incertam; est enim disputata ob rationes utrimque probabiles: si enim probabiles non essent rationes, vana esset disputatio, nullumque dubium. Si autem res est dubia ac incerta, talis est etiam obligatio ei inhærens aut annexa. En capitale principium æquiprobabilismi, quod S. Alphonsus evidens dicit, explicite evolvit ac probat; Busembaum autem tamquam per se patens in ipsa positione quæstionis admittit.

2° Requirit ut opinio, quæ eligitur, sit probabilis vere et solide, nec istam probabilitatem perdiderit per decretum contrarium, vel censuram, vel rationem contrariam quæ difficulter refutanda videatur. Hic iterum nec aliud nec plus exigit æquiprobabilismus: quod enim judicetur de probabilitatis soliditate aut amissione absolute aut relative, id non pertinet ad substantiam, et conclusio est eadem, nimirum: non licet sequi opinionem quæ vere probabilis non sit vel probabilitatem suam amiserit.

3° Fundat judicium practicum, quod certum esse debet, non in opinione ipsa quæ incerta est; nec in ejus probabilitate quæ forte falsa est; sed in principio reflexo, quod in dubiis (cum non constet de obligatione) non agit temere sed prudenter, qui facit id quod probat ratio et auctoritas. Sed en ejus verba: « Speculativum illud judicium, eo ipso quod forte incertum « et falsum sit, non debet esse regula operationis, cum operans « aliam regulam eamque certam habeat, quam sequatur, scili- « cet hanc, quod in dubiis quisque operari possit secundum

« sententiam quam viri docti ut probabilem et in praxi tutam « defendunt. »

Nihil solidius aut clarius in æquiprobabilismo exigitur. Ergo omnia necessaria ad formandam conscientiam speculative dubiam, scilicet obligatio incerta, opinio vere probabilis, judicium reflexum certum, adsunt in probabilismo sicut in æquiprobabilismo; ergo hic illum non excludit, nec ejus usum impedit.

An æquiprobabilismus usurpandus.

Si autem nunc e contrario quis petat, an usus æquiprobabilismi necessarius sit, respondet Busembaum l. c. « Esset onus « intolerabile, multisque scrupulis expositum, in omni re « examinare quid sit probabilius et tutius. »

Regula Benedicti XIV;

Ex his bene intelligitur regula, quam Benedictus XIV tradit in literis encyclicis pro jubilæo, de quibus literis ipse S. Alphonsus in opusculo anni 1765 contra Patutium asseruit textum latinum, Bullario insertum, continere instructionem pro universali ecclesia. Regula autem statuitur confessariis, qui, quum pœnitentes in via salutis dirigunt, in dubiis non debent fidere suis privatis opinionibus, sed « in eam descendere « sententiam, quam ratio suadet et firmat auctoritas. » Quæ regula ad probabilismum, non ad æquiprobabilismum pertinet.

responsum S. Pœnitentiariæ;

Intelligitur inde etiam responsum S. Pœnitentiariæ, a qua anno 1831 petebatur : « Utrum sacræ theologiæ professor opiniones, quas in sua Theologia Morali profitetur B. Alph. de Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri. » Resp. « Affirmative, quin tamen inde reprehendendi censeantur qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur. » Hoc iterum unice ad probabilismum pertinet : probati auctores faciunt opinionem probabilem, quam sequi quisque potest, quin inde reprehendi debeat.

quid prudentia humana requirat

His etiam congruunt sequentia ex præfatione ad Constitutionem qua censuræ... limitantur, etc. (Edit. 2 ad calem tomi VI *Actorum S. Sedis.*) « Dixi : Interpretatio privati auctoris tan« tum valet quantum demonstrat; » id intelligendum est juxta

leges scientiæ, non juxta leges moralis prudentiæ. Namque, juxta moralis prudentiæ leges, sententia privati auctoris, quin demonstretur aut scientifice expendatur, potest identidem habere talem auctoritatem ob rerum peritiam ejusdem auctoris, quæ sit cum probitate conjuncta, ut unusquisque, sententiæ ejusdem auctoris acquiescens, prudenter agere dicendus sit. Qui autem prudenter agit bene recteque agit.

« Hæc agendi rectitudo ex eo oritur quod ille, qui assentit auctori privato, rei de qua agit perito, habet rationabile motivum ei credendi, quod est ejus perspecta peritia cum probitate conjuncta, et non habet rationabile motivum dubitandi vel saltem non habet grave motivum aliter tenendi. Qui in hisce adjunctis privato auctori assentit ejusque opinionibus ducitur, prudenter adeoque recte agit.

« Quod si ita non esset, plurimis semper in scrupulis versaremur, in omnibus propemodum fluctuantes. Ejusmodi prudentiæ leges sunt, quæ non tantum res conscientiæ dirigunt, sed propemodum totam socialem vitam : non enim possumus habere omnium rerum, quibus indigemus, plenam cognitionem vel certitudinem : cognitionis autem, vel scientiæ, vel certitudinis carentiam prudentia suppleat necesse est. Cessaret autem esse prudentia, statim ac opinio, quam sequamur, demonstrata esset vel falsa vel improbabilis : quo in casu esset deserenda, multoque magis deserenda esset, si sententiis e supremis S. Sedis tribunalibus opponeretur. Hæc ob eam causam adnotavi, quia non desunt qui semper vellent in suis dubitationibus authenticum ab auctoritate responsum, quasi vero prudentiæ moralis leges cessassent, vel hæ non essent satis ad recte agendum.

« Sacra ipsa Pœnitentiaria, quæ est practicum S. Sedis tribunal, quando proposita eidem dubia non censet sua auctoritate resolvere, petentes mittit ad prudentiæ moralis leges per responsum : « Consulat probatos auctores. » Non semper enim expedit dubia, quæ proponuntur, auctoritate resolvere. et praxis ecclesiæ.

Neque sine causa ecclesia in diœcesium constitutione voluit atque statuit in singulis diœcesibus canonicum pœnitentiarium et theologum, qui tum ex scientia proprio studio acquisita, tum ex notitia auctorum qui usu recepti in ecclesia sunt, quique ideo dicuntur probati auctores, tum ex consultatione virorum, qui in singulis diœcesibus scientia et prudentia præstant, duce episcopo, valeant suas dare opiniones, quibus cæteri acquiescere prudenter possint. »

De auctoribus probatis.

Et quoniam in his *probati auctores* sæpius redeunt, animadvertendum est discrimen aliquod exsistere inter S. Alphonsum aliosque meliores theologos : ille scilicet pluribus decretis et responsis pontificiis palam et aperte inter *probatos auctores* relatus est ; alii inter eosdem recepti sunt communi ecclesiæ usu, existimatione publica, scholarum consensu et maxime laudibus Romanorum pontificum et sanctorum episcoporum, puta S. Caroli Borromæi, S. Francisci Salesii, S. Alphonsi Ligorii aliorumque. Vide supra, pag. 72 et 73.

Animadvertendum deinde omnia scripta S. Alphonsi æque probata fuisse, tum quæ scripsit ad vindicandum probabilismum, tum quæ edidit ad adstruendum æquiprobabilismum ; itemque quæ in *Homine Apostolico* leguntur et quæ in majori *Theologia morali*, licet non numquam diversa : quod, quum approbatio singularum opinionum positiva non sit, nequaquam secum pugnat. In conflictu autem *Hominis Apostolici* et majoris *Theologiæ Moralis*, monet P. Michaël Heilig (tom. IV, pag. 313, not. 1 ; tom. VI, pag. 32, not. 1) præferendam esse auctoritatem hujus operis, quum constet S. Doctorem *Theologiam* « *Moralem* pro textu *Hominis Apostolici* semper curasse eamque in dies ad finem vitæ usque emendasse : quod de *Homine Apostolico* dici nequit. »

ANNOTATA.

I. DE PROPOSITIONIBUS INNOCENTIANIS.

Pag. 28 et seqq. pauca disseruimus de propositione LX, quam non secus ac alias quasdam, quæ in decreto Innocentiano leguntur, a nonnullis Lovaniensibus per calumniam fabricatam fuisse dixerat Faurius. Vindices (1) secundum Vivam (2) contendunt sententiam illam «sin minus iisdem omnino verbis, attamen plane æquivalentibus quæ eumdem sensum fundunt,» a Joanne Sancio, utriusque juris doctore et capellano regio, fuisse traditam. Sed, quamvis nequaquam probanda videatur universa disputatio, ex qua verba, a Vindicibus adducta, desumpta sunt, profecto eadem illic non docentur quæ propositione LX damnantur. Quæ tamen res ad nos minus pertinet. Hoc enim statuimus dumtaxat 1° OMNES propositiones Innocentianas, scilicet sexaginta quinque, venire ex denuntiationibus Lovaniensium, qui centum undecim, solemni legatione instituta, anno 1677 ad apostolicum tribunal detulerunt; 2° *plerasque* ab iisdem calumniose fuisse fabricatas aut expositas. Quarum rerum demonstratio valde facilis est. OMNES enim propositiones, ab Innocentio XI damnatæ, præter XXII quæ in decreto decurtata est (addiderant nempe Lovanienses post vocabulum *remuneratoris* paulo plura, scilicet : « *Mediatoris, SS. Trinitatis,*

(1) Pag. 736.
(2) In comment. ad eamdem.

aut Incarnationis, cum fides, » ut in propositione XXIII), IISDEM OMNINO VERBIS CONCEPTÆ SUNT QUIBUS DENUNTIATÆ PROPOSITIONES LOVANIENSES, ut de earum origine ne cæci quidem et surdi dubitare possint; deinde plerasque calumniose fabricatas esse, aut ex calumniosis libris, v. g. *Literis provincialibus* Blasii Paschalis et *Theologia practica Jesuitarum* Arnaldi aliorumque, fuisse depromptas aut a genuino suo sensu detortas, fuse et de professo ostenditur in quarta parte *Speciminis doctrinæ theologicæ per Belgium manantis ex Academia Lovaniensi*. Et ne quis hæc in dubium vocet, *Speciminis* hujus paginas indicabo, ubi singulæ propositiones Lovanienses recitantur et origo exponitur, et quidem integro anno ante Innocentianam condemnationem.

PROP. DAMN. AB INNOC. XI.	EÆDEM EXAMIN. IN SPECIM.
I. *Non est*	pag. 265
II. *Probabiliter*	» 266
III. *Generatim*	» 267
IV. *Ab infidelitate*	» 268
V. *An peccet*	» 281
VI. *Probabile*	» 283
VII. *Tunc solum*	» 284
VIII. *Comedere*	» 286
IX. *Opus*	» 287
X. *Non tenemur*	» 300

et sic deinceps usque ad finem seu propositionem LXV, paginis nempe 301, 304, 305, 310, 311, 313, 314, 317, 323, 324, 327, 336, 337, 338, 344, 345, 350, 355, 356, 360, 362, 365, 371, 372, 375, 380, 382, 384, 391, 405, 408, 415, 419, 421, 422, 423 et 424.

II. DE AUCTORITATE SCRIPTORUM S. ALPHONSI.

Pag. 42 et seqq. auctor Judicii de *Vindiciis Alphonsianis* fuse tractat, secundum scriptores *Actorum S. Sedis*, de auctoritate S. Alphonsi ut approbati theologi. De eadem re, approbante S. Facultate Universitatis catholicæ Lovaniensis, baccalaureus, licentiam theologicam petens, defendit hoc anno die 30 junii adversus *Vindicias* sequentem thesim, num. XV : « Licet co-« piosissime scripserit » S. Alphonsus de Ligorio, « ejus tamen « opera inoffenso prorsus pede percurri a fidelibus posse, post dili-« gens examen, perspectum fuit (1).» Tutam igitur morum regulam suppeditat doctrina S. Ligorii, iis etiam qui ad allatas ejus opinionum rationes non attendunt, vel eas investigare nesciunt. Ex hac vero approbatione falso deduxeris opiniones S. Alphonsi moraliter certas evadere; manent enim in eo probabilitatis gradu quem antea habebant, quamvis extrinseca major probabilitas eis accesserit. In qua defensione quum sermo factus est de lethalibus vulneribus, per *Vindicias* inflictis Ballerinio, universa aula academica risu perstrepuit. Faveretne sibi an Ballerinio scisciteutur Vindices.

III. DE RR. PP. HEILIG ET HARINGER, DEQUE CONVENIENTIA INTER PROBABILISMUM ET ÆQUIPROBABILISMUM.

Pag. 68. En disant que le P. Heilig démontre et que le P. Haringer admet que l'équiprobabilisme de saint Alphonse revient au probabilisme des Jésuites, nous n'avons nullement prétendu qu'ils le font d'une manière explicite, mais seulement que le tableau de la terminologie de saint Alphonse par le P. Heilig (voir plus

(1) *Bulla canoniz.* § 7.

haut pag. 127) et le langage du P. Haringer (p. 128), qui substitue aux mots ordinaires de saint Alphonse *notabiliter et certe probabilior* les mots *multo probabilior*, font voir qu'il n'y a guère de différence pratique entre l'équiprobabilisme de l'un et le probabilisme des autres, ainsi que Scavini (voir plus haut 122) le reconnaît formellement. En effet, quel Jésuite de quelque renom a jamais enseigné qu'on peut suivre une opinion *dubie aut tenuiter probabilis*, ou contraire à une opinion *multo probabilior?* Du reste, qu'on n'accuse pas le P. Haringer d'avoir forcé le sens de saint Alphonse. Le saint Docteur lui-même a traduit son *notabiliter* par *multo*, comme on peut le voir plus haut, pag. 124, (*quoties enim* CERTE *apparet veritatem* MULTO MAGIS *stare pro lege*) et page 141 (*quando è* MOLTA *ed è* CERTA *la predominanza per la più tuta.*)

Cet accord pratique entre le probabilisme des auteurs approuvés et l'équiprobabilisme de saint Alphonse est encore très-bien démontré par le rapprochement de quelques textes, que nous trouvons dans la *Theologia moralis fundamentalis* de M. Bouquillon, pag. 302. Il cite d'abord une lettre de saint Alphonse en date du 25 mai 1767, dans laquelle on lit : « *Ipsi auctores probabilistæ nostri* dicunt sequendam esse opinionem pro lege quando hæc est notabiliter et cum excessu probabilior, quia in eo casu lex est moraliter satis promulgata. » Puis il continue : « Et revera, hæc apud Suarez, v. g., legimus : « Major probabilitas est quædam moralis « certitudo, si excessus probabilitatis certus sit » (*De leg.* lib. 8, c. 3, n. 9) ; Terillus vero, de *Conscientia probabili* q. 27, sæpius asserit majorem probabilitatem, præsertim quando est notabiliter major, esse certitudinem moralem ; unde Wirceburgenses, n. 240 : « Si de opinione *notabiliter et certo probabiliore* procedit quæstio, « vix ullus prudens theologus opinionem suam affirmabit mani- « feste et notabiliter probabiliorem, quamdiu oppositam agnoscit « *vere ac theologice* probabilem ; quæ si cessat talis esse, cessat « et quæstio. »

Il est vrai que, poussé par ses adversaires, le saint Docteur a

admis spéculativement que, lorsque l'opinion favorable à la loi est d'un degré plus probable que l'opinion contraire, on doit se conformer à la première ; mais il est vrai également que, se rejetant aussitôt sur la pratique, il a fait remarquer que cette probabiliorité d'un degré doit être *certaine* (*certa*) et que, pour être certaine, elle doit être notable (*notabile*) (voir les *Vindiciæ*, pag. 66), c'est-à-dire grande (*molta*), ainsi que nous venons de le montrer. L'équiprobabilisme de saint Alphonse suit donc en pratique le même chemin que celui parcouru par le simple probabilisme des auteurs approuvés.

Pour l'équiprobabilisme, ce chemin est tracé par la pondération comparative des opinions contraires et est borné à droite par les opinions *certe*, *notabiliter*, *multo probabiliores*, et à gauche par les opinions *dubie aut tenuiter probabiles ;* le simple probabilisme approuvé, pour éviter les mêmes pierres d'achoppement, se contente de se tenir sur le terrain ferme de la vraie et solide probabilité. Le premier inscrit sur son drapeau : *Comparatione;* le second ne proscrit pas cette devise, mais il considère que la pondération comparative des opinions est, de l'avis des princes de la théologie mêmes, chose très-délicate et très-difficile, que l'expérience montre que le jugement que l'on porte sur la probabiliorité et sur les degrés de probabiliorité diffère selon les temps ou même les jours, selon les hommes et les lieux, et que, jusqu'ici, peu de questions pratiques ont été résolues au moyen de cet *organum.* Il n'ose donc guère faire une loi de l'usage de cet instrument scientifique et il croit qu'il lui suffit de mettre sur son blason : *Ratione solida et auctoritate gravi.*

IV. DE MUTUO AMORE ET EXISTIMATIONE S. ALPHONSI ET SOCIETATIS JESU.

Pag. 115. Meminit Ballerinius in Dedicatione Dissertationis suæ perpetuum societatis Jesu amorem S. Alphonsi etiam in mediis

calamitatibus superioris sæculi ; quem amorem etiam in Præloquio ad lectorem commemorant Vindices. Quamobrem singulari veneratione et gratissimo animo ejus semper memoriam recolimus, uti et S. Pauli a Cruce, Passionistarum fundatoris, qui in literis, ad P. Ludovicum Reali die 22 septembris anni 1767 datis, profitebatur se sine lacrimis cogitare non posse de angustiis tot innocentium virorum suis sedibus pulsorum, et de detrimento tot animarum quibus per universum mundum subsidia spiritualia prius administrabant (1), necnon præpositi generalis Servorum B. M. V., qui unus, ut in literis R. A. P. Riccii ad P. Genuensem legitur, numquam adire voluit conciliabulum hebdomadarium, ubi de sternenda via ad suppressionem universæ Societatis agebatur. Quæ illis temporibus admirabilis erat constantia et abstinentiæ integritatisque præclara demonstratio.

Eminebat tamen S. Alphonsus, qui omni occasione, etiam quum jesuiticæ doctrinæ nomine odiosam ejus facere vellent *Theologiam*, benevolum affectum suum demonstrare voluit ; qui Jesuitas Neapolitanos laudavit ut nemo umquam alius ; qui Clementi XIII, post Vindicatum institutum Societatis per bullam *Apostolicum*, duabus applausit manibus et qui post emissum Clementis XIV breve *Dominus ac Redemptor* solatium non invenit nisi in adoranda divina voluntate.

Neque officia sua umquam desiderari passi sunt Societatis homines. Quis in Breviario Romano non legit Alphonso infantulo benedixisse S. Franciscum de Hieronymo et longissimam utilissimamque vitam et episcopatum prædixisse? Quæ benedictio quam vim habuerit quis æstimabit? Tradunt dein biographi Alphonsum, adolescentulum annorum octodecim, ex exercitiis spiritualibus, a sanctissimo viro P. Buglione traditis, tantam utilitatem percepisse ut ab ejus memoria numquam recesserit; eumdemque jam presbyterum, quum cogitaret de instituenda

(1) Boëro, *Osservaz. sopra l'Istoria di Clemente XIV*, tom. II, pag. 239, edit. II.

Congregatione SS. Redemptoris et multum dubius esset, a P. Manulio in suo consilio confirmatum fuisse. Sed quid hæc et similia prosequor? Venio ad libros. Plurimine sunt qui initio plus contulerint ad eorum spargendam famam, inducendum usum simulque nomen auctoris vulgandum? Quis nescit S. Alphonsum rogasse R. P. Antonium Zaccariam, cujus nomen bibliopolæ et typographi Itali certatim ambiebant suis libris inscribere tamquam omnium optimam commendationem, Dissertationem historicam de libris pœnitentialibus et de universa litteratura pœnitentiali, quam novæ *Theologiæ* suæ *Moralis* editioni præmitteret? Cui petitioni ita satisfecit doctissimus Jesuita ut nihil eruditius et sapientius uspiam ea de re inveniatur. Quid, quod in ipsa *Responsione ad Animadversiones* promotoris fidei inter primos propagatores operum S. Doctoris adducitur P. Diesbach, patricius Bernensis, qui ex protestante catholicus et Jesuita factus, tum in Societate, tum post ejus suppressionem, gloriam Dei insigniter procuravit? «Habebat eum, sic illic ex Tannoja legitur, doctorem omnium maxime conspicuum, quos Deus ultimis his temporibus suæ ecclesiæ dederat, dicens soli Ligorio pectus esse quo obstet vulgaribus erroribus et causam doctrinæ moralis evangelicæ vindicet adversus procaces Jansenistas. Multum contulit, sic pergitur, ad vulgandam ejusdem *Theologiam Moralem* maxime per Helvetiam, Gallias, Bavariam aliaque Germaniæ loca. Singulariter magni faciebat opera ejus ascetica, utpote spiritu divino plena. Quaquaversum spargebat ea, faciebatque ea in linguam vulgari verti et commendari populis tamquam fomites veræ pietatis christianæ.» Memorat item Tannoja (1) P. Ignatium Neudawerum, professosem theologiæ, qui non dubitabat S. Alphonsum adhuc vivum inter celeberrimos religionis christianæ defensores referre; in opere suo de *Vera religione vindicata* singulariter laudans illius librum, *Verità della fede*, paulo postquam anno 1767 in lucem venerat.

Sed jam pridem ante alii Jesuitæ alia S. Alphonsi opuscula, vernacule versa, publicaverant, eaque passim commendabant homi-

(1) *Mémoires*, tom. III, pag. 359.

nibus. Anno 1747 primum suum libellum in lucem miserat S. Doctor titulo: *Visite al SS. Sacramento ed a Maria SS.* Decennio post germanice eum jam vertit et cum publico communicavit Jesuita Moguntinus. Anno 1759 alius Jesuita germanice vertit et edidit *Horologium Passionis.* A. P. Nonotte factam esse priorem versionem gallicam *Visitationum SS. Sacramenti* tradunt biographi, sed perperam. Commercium quidem literarium cum S. Doctore habebat ille Voltarii debellator et ad prælium Domini incitabatur ab eodem alacriter. Verum illa versio ejus non est, sed P. Petri Doré, qui et Lalomiæ *Mensem Marianum* gallice vertit et similiter S. Alphonso dabat et recipiebat literas. Quoties versio illa, quæ anno 1774 primum lucem vidit, typis repetita fuerit, dicet nemo. Ut priores annos omittam, ab anno 1812 usque ad annum 1832 forte plus ducentæ editiones factæ sunt; certe noniganta quinque diversas invenerunt fratres De Backer, Societatis bibliographi, certi se mediam partem latuisse. Quo omnium maxime factum est ut citra Montes S. Alphonsi nomen, etiam ante beatificationem, in omnium esset ore. P. Carolus Le Blanc, natione Gallus, priori professione miles, dein Congregationis Fidei sodalis et demum ab anno 1814 Jesuita Belga, omne pene subsecivum suum tempus impendit vertendis gallice Muzzarellii et S. Alphonsi opusculis. Neque dubito quin plures alii, qui me fugiant, idem fecerint. Atque hæc partim, quum Congregatio SS. Redemptoris in Italia et fere in regno Neapolitano consisteret; partim, quum nonnisi nomine citra Rhenum esse cognita.

Quid de *Theologia Morali* addam? Citra Montes quinam magis ejus usum propagarunt? Omitto duas editiones a Jesuitis curatas, omitto Gurianum *Compendium*, toties tantaque copia editum et innumerorum clericorum et presbyterorum manibus tritum; quo omnium maxime doctrina Alphonsiana vulgaris facta est. Sed quis nescit quadraginta abhinc annis omnium fere seminariorum cathedras adhuc perstrepuisse placitis probabilioristarum tutioristarumque? Sane utilissima fuit *Justificatio* cardinalis Gousset; sed certe non minus utilis fuit commendatio concionatorum Societatis

Jesu, qui in colloquiis cum confessariis missionum tempore, in exercitiis spiritualibus sacerdotum aliorumque clericorum, quin etiam in quotidiana conversatione non cessarunt umquam commendare S. Alphonsi doctrinam; adeo ut (ne exeam Belgio) anno 1846 præclarissimus prælatus ecclesiasticus (alio titulo designare nolo), de Jesuitis querelas fundens, eis omnium maxime vertebat vitio quod Densium usu eliminassent et substituissent Ligorium. Quapropter, quum R. A. P. Petrus Beckx, in petitione sua de creando S. Alphonso doctore ecclesiastico, ita laudavit sancti viri *Theologiam Moralem* ut nemo forte eum vicerit, universæ Societatis vox fuit. Et quidem, ut supra pag. 15 monui, quum non ita pridem P. Jacques laudibus extollere voluit auctoritatem S. Alphonsi, commendationi sex Romanorum pontificum nil fere aliud adjecit quam testimonia Jesuitarum, atque ipsius etiam Ballerinii. Demum quum optatum speratumque decretum a sapientissimo, fortissimo, pientissimoque pontifice Pio papa IX prodiit, non minus nostra, qui propter doctrinam moralem benigniorem tot probra et contumelias olim experti sumus, victoria fuit quam sodalium SS. Redemptoris. Nihil itaque mirum, si quum *Vindiciæ* venerunt in lucem, quibus multa S. Doctoris placita et ipsa ejus auctoritas in disquisitione posita sunt, non potuimus non deplorare tantam vesaniam. Equidem, ut gravissimum hoc incommodum vitarem, in *Prolusione historica* malui, licet inde impedimentum exsurgeret adversum meis consiliis, de ineptiis aliquot Vindicum dicere quam de S. Doctoris sententiis disserere : expedit enim magis hoc loco et tempore ab earum examine abstinere quam sigillatim diluere omnes aut plerasque Ballerinio impactas criminationes. Atque jam Vindiciis Ballerinianis finis esto.

INDEX

PROLUSIO HISTORICA

PAG.

Lætitia communis de S. Alphonsi doctoratu ecclesiastico interturbata 5

P. Antonius Ballerinius, non ita pridem laudatus, jam vituperio expositus, venerabilis senex est, qui multum laboravit et S. Alphonsi doctrinam commendavit, potissimum in Dissertatione, dicata RR. PP. Redemptoristis, qui eam plurimi fecerunt : quin et præmature eum nominavit S. Doctorem. . 6

Splendidissimo elogio item commendavit R. A. P. Petrus Beckx doctrinam S. Alphonsi. 11

Hæc existimatio omnibus Jesuitis communis est. 12

Congregationem SS. Redemptoris non minus amavit Ballerinius, ut et reliqui Jesuitæ, qui ejus Patribus nihil umquam negarunt, qui et in omnes religiosos officiosi. 12

Olim invidiam excitabant Jesuitæ, nunc non nisi misericordiam. 14

Ad accusandum Ballerinium auctores Vindiciarum sibi fuguraverunt, et quidem falsissime, Ballerinium auctorem fuisse objectionum, quas promotor fidei pro officio opposuit doctoratui S. Alphonsi. 15

Ideo absentem coram S. R. C. non parum illiberaliter habuerunt. 17

Dein statuerunt prætermittere decreti pontificii irrisores et omnes vires intendere ad opprimendum novo libro innocentissimum Ballerinium. 17

Magna humilitate et religione Ballerinius studuit hanc controversiam avertere. 18

Eduntur Vindiciæ et mirifice laudantur non sine vituperio universæ Societatis Jesu. 19

Stylus Ballerinii brevior et aliquanto durior illis favebat. . 20

Item moles libri quasi indicium doctrinæ, simulque impedimentum recognitionis. 20

Vindiciæ non plus valent quam alii libelli famosi 21

Facile est eas pensitare, si lector suspectam habeat sinceritatem et fidem auctorum. Ballerinio tribuunt contraria suis dictis . 23

Idem dicunt quod Ballerinius, cujus pervertunt verba . . 24

Res bonas dispersas odiose in unum congerunt 24

Frequenter statum quæstionum non intelligunt aut mutant . 25

Præpostere auctores allegare solent 25

Vituperio, posthabitis ratione, logice et critice, respondent ad argumenta 26

Pueriliter solvunt difficultates; quæ puerilitas universum librum pervadit, nam nihil serii sibi proposuerunt, sed id unum per bis mille columnas castigare Ballerinium. 30

Vindicum peccatum Congregationis Alphonsianæ, quam nemo satis laudaverit, peccatum non est. 33

Vera decora hujus Congregationis. 34

I

PAG.

JUDICIUM PRESBYTERI SÆCULARIS BELGÆ, OLIM BALLERINII DISCIPULI, DE VINDICIIS ALPHONSIANIS, *excerptum ex actis menstruis Belgicis*, Le Mémorial, revue des intérêts religieux (juillet 1873). 37

MONITUM 38

Mens ecclesiæ opera S. Alphonsi approbantis indigatur . . 39

Tria edita fuerunt decreta, in quibus ecclesia non dixit, Vindicibus fatentibus, S. Alphonsi doctrinam universam esse veram. 41

Contendunt tamen iidem Vindices neminem in opere posse aliter sentire, quamvis ecclesia statuerit tantum in S. Alphonsi Operibus nihil esse quod obstet ejus canonisationi . . . 43

Ecclesia decrevit S. Alphonsi sententias unumquemque posse tuto sequi, quin quidquam de earum veritate definiverit . . 45

Decrevit ecclesia S. Alphonsum doctoribus accensendam esse ob singularem scriptorum ejus utilitatem 45

Hinc universim S. Alphonsi sententiæ sunt valde commendandæ, ita tamen ut ab iis recedere theologis liceat 46

Ballerinius quasi hanc libertatem ultra limites usurpasset accusatur. 47

Ballerinius primis decem annis sui magisterii pro libro manuali *Theologia Morali* S. Alphonsi usus est, dein *Compendio* Guriano ad ejus mentem concinnato : quin et in Dissertatione speciali docuit sanctum virum esse ducem tutum . . . 48

Perperam Ballerinius accusatur a Vindicibus vituperii in S. Alphonsum : et quidem, licet approbaverit S. Doctoris sententiam de eleemosynarum quantitate, dicitur eam impugnasse. 49

Culpatur quod sententiam quamdam S. Alphonsi dixit implicite non esse communem, quam ipsi Vindices aperte fatentur communi doctorum sententiæ adversari 51

Reprehenditur quod dixit quamdam sententiam P. Gurii esse singularem, quasi id dixisset de alia S. Alphonsi sententia . . 53

Increpatur Ballerinius quia verissime dixit S. Alphonsum falsis allegationibus Salmanticensium et La Croix fuisse deceptum 54

Vindiciæ allegant auctores tamquam S. Alphonso consentientes, quos tamen S. Doctor impugnat tamquam sibi adversarios. 55

Male habetur Ballerinius quod impugnavit Cardenam et La Croix, quasi S. Alphonsum, quem intactum reliquerat, impugnasset. 55

Increpatur Ballerinius quasi dixisset S. Alphonsum proposuisse sententiam inauditam quam nemo sanæ mentis docuit aut docere potuit, licet id dixerit de sententia, quam S. Doctor impugnavit. 57

Vindiciæ non merentur fidem 59

II

COMPTE-RENDU APPROBATIF DES VINDICIÆ ALPHONSIANÆ *(Univers, 8 mai 1873)*. 61

Autrefois S. Alphonse était attaqué comme laxiste, aujourd'hui il l'est comme rigoriste par le P. Ballerini. 64

Il est défendu contre ce Père par les *Vindiciæ Alphonsianæ* . 64

Les *Vindiciæ* prétendent que S. Alphonse a été prédestiné de Dieu pour être le père de l'équiprobabilisme 66
Note. S. Alphonse dit qu'il n'a jamais eu la prétention de faire un système nouveau, comme le lui reprochait Patuzzi . . 67
Elles prétendent aussi que le P. Ballerini et ses adhérents versent dans le laxisme pratique 67
Note. Le probabilisme du P. Ballerini est en pratique le même que celui de S. Alphonse et des grands théologiens . . 68
Les *Vindiciæ* reprochent à Ballerini d'appliquer le laxisme aux récidivistes 69
Note. Le P. Ballerini enseigne le contraire de ce qu'on lui fait dire. 70
Elles indiquent aussi les divergences qui existent entre S. Alphonse et le P. Gury 72
Note. Le P. Gury s'est éloigné parfois de S. Alphonse, comme S. Alphonse s'est écarté de S. Thomas, de S. Bonaventure et d'autres grands théologiens. 72
Elles prétendent que la doctrine de S. Alphonse a reçu du Saint-Siége l'approbation positive 74
Note 1° Cette thèse est ruinée par les *Vindiciæ* mêmes. En quels cas on peut et on doit, d'après ce livre même, s'éloigner de la doctrine de S. Alphonse 75
Note 2° Il est démontré, d'après Benoît XIV et autres auteurs, que la doctrine de S. Alphonse n'a pas reçu l'approbation positive mais seulement l'approbation négative ou permissive . . 76
Les *Vindiciæ* enseignent qu'un théologien ne peut sans témérité ou sans orgueil s'éloigner des opinions du S. Docteur . . 79
Note. S. Alphonse a enseigné par son exemple qu'on peut, lorsqu'on a de bonnes raisons, s'éloigner sans témérité ou orgueil des opinions de S. Thomas, de S. Bonaventure et des autres grands maîtres de la Théologie 80

III

Réponse du R. P. Ballerini.

PAG.
Le P. Ballerini ne se défend que forcément par la voie des journaux 85
Il prouve que, loin d'être contraire à S. Alphonse, il a dans une dissertation approuvée par le Général des Rédemptoristes fait un éloge pompeux de S. Alphonse. Il l'y aurait nommé saint Docteur, s'il n'en eût été empêché par le Maître du Sacré-Palais 86
Il n'a jamais insinué que S. Alphonse fût *rigoriste* . . . 87
Il ne s'est jamais écarté de l'opinion du saint Docteur, que pour des raisons solides d'après lui, et toujours appuyé sur l'autorité de docteurs autorisés : ce qui lui était permis 87
Il n'a pas enseigné un probabilisme menant au laxisme, mais le même probabilisme que S. Alphonse de Liguori, comme il

conste par sa Dissertation dédiée aux RR. PP. Rédemptoristes et agréée par eux. 88
NOTE. De quelle manière le P. Ballerini répondra aux *Vindiciæ* 90
Dire, comme le font les *Vindiciæ* et E. P., que S. Alphonse est le vrai créateur de l'équiprobabilisme, la seule doctrine vraie, c'est dire que pendant dix-huit siècles, l'Église a été dans l'obscurité, sur un point très-capital de la morale chrétienne. Est-ce admissible 91
Le P. Ballerini, là où il parle des récidivistes de disposition douteuse, enseigne la doctrine du Pape Léon XII et de S. Alphonse. De même, quand il parle de récidivistes dont la disposition paraît suffisante, il suit la marche indiquée par S. Alphonse. 92
Le P. Ballerini répondra brièvement ailleurs aux autres reproches des *Vindiciæ* 95
En attendant, il demande que ses écrits soient examinés à l'œil nu et non pas à travers le prisme des *Vindiciæ*, et il somme ses détracteurs de réparer le tort qu'ils ont fait à sa réputation 96
NOTE. Comment, de tous les calomniateurs de la doctrine morale des Jésuites, Concina seul s'est rétracté 97
Le P. Ballerini demande à ses accusateurs comment un professeur doit se conduire quand une opinion de S. Alphonse est en contradiction avec les décrets du Saint-Siége. 98
NOTE. Résumé de ce que le P. Ballerini a fait pour rehausser le nom et la doctrine de S. Alphonse 100

IV

ESSAI DE JUSTIFICATION DE L'ANONYME E. P. PAR LE R. P. BOULANGEOT (*Univers* 29 *juillet* 1873) 101
Le R. P. Boulangeot, Rédemptoriste, est autorisé par ses supérieurs à justifier la lettre du Père E. P. à l'*Univers* . . . 101
Un mot sur les *Vindiciæ Alphonsianæ* en réponse à la lettre du R. P. Ballerini du 25 juin 103
Les *Vindiciæ* ont été louées par la *Scienza e fede* de Naples, par Mgr Pie, par la *Revue des sciences ecclésiastiques* et sont un écho des *Acta doctoratus*. Le P. Boulangeot en conclut que c'est un livre sincère avec lequel il faut compter : il ne veut plus discuter 103
NOTES. Singulières méprises du R. P. Boulangeot 104
De quoi les *Vindiciæ* sont un écho 107
Dans la *Revue des sciences ecclésiastiques*, l'un de ses rédacteurs, M. Grandclaude, loue les *Vindiciæ*, tandis qu'un autre de ses rédacteurs, M. Jules Didiot, docteur en théologie, autrefois élève du P. Ballerini, se prononce contre les *Vindiciæ* et fait l'éloge du professeur 107
Contradictions et méprises de M. Le Verdier dans la *Bibliographie Catholique* 108
Le R. P. Boulangeot se contente de renvoyer le P. Ballerini pour la partie doctrinale aux pages 99, 40, 720 et 904 des *Vindiciæ* . 109

NOTES. En ces endroits des *Vindiciæ* on lit le contraire de ce qu'a dit S. Alphonse ; l'on y trouve la réfutation de la prétendue *thèse magistrale* des *Vindiciæ* 109
Fausses suppositions du P. Boulangeot 111

V

R. P. ANTONII BALLERINII S. J. DISSERTATIO DE MORALI SYSTEMATE S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO *habita in solemni studiorum instauratione anno* 1863 114
Dedicatio Rectori Supremo et RR. PP. Congregationis SS. Redemptoris 115
Dissertatio 116
Insigni Dei beneficio factum est ut jam ad manus habeamus scripta S. Alphonsi, qui contra Jansenistas aliosque rigoristas, ubique sacerdotum animos perturbantes, catholicas doctrinas in rebus moralibus magna ex parte redintegravit 116
Porro nonnulli existimant S. Alphonsum novam iniisse viam et creasse æquiprobabilismum et communem probabilismum impugnasse : sed id non est admittendum. Etenim S. Alphonsus probabilismum in Dissertatione anni 1749, itemque in Dissertatione anni 1755 egregie propugnavit. 118
Nec postea S. Doctor mutavit sententiam : nam 1° non reformavit in elenchis Retractationum ; 2° in editione anni 1773 et postrema Bassanensi contendit sententiam *certe* probabiliorem esse præponendam, id est, ut ait S. Doctor, sine hæsitatione et notabiliter probabiliorem, quia tunc ea sententia est moraliter certa et ejus contraria tenuiter aut saltem dubie probabilis . . 121
ADNOTATIO. Hanc doctrinam Ballerinii sese admittere declarat Petrus Scavinius. De mutilata editione Bassanensi. . . 122
Æquiprobabilismus ille minime est contrarius simplici probabilismo, antea a S. Doctore propugnato 128
Postea quæstionem de simplici probabilismo, utpote sat agitatam, prætermisit tractare S. Alphonsus, approbans tamen usum opinionis probabilis in concursu probabilioris: idque fecit ut adversariorum tricas vitaret. 130
ADNOTATIO. Ostenditur quomodo Vindices in pravum sensum contorqueant Ballerinii placita de probabilismo 131

VI

DISSERTATIO DE S. ALPHONSI PROBABILISMO ET ÆQUIPROBABILISMO. 135
MONITUM PRÆVIUM. Quæ opponantur Ballerinio. Opera aliquot S. Alphonsi 137
ADNOTATIO. Vindices, quo facilius Ballerinium S. Alphonsi adversarium esse ostendant, dicunt perperam S. Doctorem impugnasse tutioristas in Dissertationibus ann. 1749 et 1755. Impugnavit probabilioristas. 138
I. An S. Alphonsus ab initio simpliciter probabilista fuerit. 139
S. Alphonsus, ex probabiliorista probabilista factus, vindicat probabilismum communem. 139

Non fuit sibi contrarius, quum anno 1762 improbavit probabilismum laxum, et transiit ad æquiprobabilismum. . . 141
Adnotatio. S. Alphonsus distinctionem inter probabilitatem solidam et non solidam egregie fecit. 142
II. An et quatenus æquiprobabilismus differat a simplici probabilismo. 143
Probabilistæ statuunt de soliditate probabilitatis absolute, æquiprobabilistæ relative. 143
Illis opinio probabilis amittit suam probabilitatem decreto contrario aut ratione gravissima; his præpollente auctoritate unius sententiæ adversus oppositam 143
S. Alphonsus prætulit æquiprobabilismum, ne cum probabilistis laxioribus confunderetur, et ut certo modo posset indicare quæ opinio sit solide probabilis . . . . . .
III. An æquiprobabilismus excludat probabilismum ejusque usum. 146
Probabilismum ejusque usum numquam exclusit S. Alphonsus. 148
In genuino probabilismo servantur eædem leges quæ in æquiprobabilismo 149
An æquiprobabilismus usurpandus. 150
Usus probabilismi 150
De auctoribus probatis 152

ANNOTATA.

I. De propositionibus damnatis ab Innocentio papa XI. . . . 153
II. Thesis defensa in Universitate catholica Lovaniensi. . . 155
III. De PP. Heilig et Haringer, deque convenientia inter probabilismum et æquiprobabilismum. 155
IV. De mutuo amore et existimatione S. Alphonsi et hominum Societatis Jesu. 157

ERRATA.

Pag. 18, *lin.* 13 deshonestamento — *l* — dehonestamento.
Pag. 19, *lin.* 20 Medio — *l* — Ineunte.
Pag. 19, *lin.* 30 mora — *l* — moralis.
Pag. 24, *lin* 16 adduxerunt — *l* — indicarunt.
Pag. 24, *lin.* 21 eubuerunt — *l* — erubuerunt.
Pag. 26, *lin.* 31 sumendam — *l* — sumendam Eucharistiam.
Pag. 29, *lin.* 4 tractanti — *l* — tractandi.
Pag. 30, *lin.* 4 interveniat — *l* — inter veniat.
Pag. 40, *lin.* 9 *Adnotationem* — *l* — *Adnotationum*
Pag. 43, *lin.* 26 debet — *l* — debeat.
Pag. 81, *lin.* 18 ils — *l* — elles.
Pag. 81, *lin.* 41 Vindiciæ — *l* — Dissertatio, Neapoli, 1755.
Pag. 137, *lin.* 10 est — *l* — esse.
Pag. 140, *lin.* 37 systemate — *l* — systemati.

B351
241.1
B14
(1)

AUTHOR Ballerini, Pietro, 1698-1769

TITLE Vindiciae Ballerinianae

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE